

DISSERTATIO THEOLOGICA,  
QVA  
HYPOTHESIS  
DE  
SCRIPTURA SACRA,  
AD ERRONEOS  
VVLGI CONCEPTVS  
ADCOMMODATA,  
MODESTO EXAMINI SVBIICITVR:

QVAM  
PRAESIDE  
IOANNE IACOBO RAMBACHIO,  
S. S. THEOLOGIAE PROF. PVBL. ORDIN.  
IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
A. D. XVIII. APRILIS M DCC XXVII.  
publice defendet

IOANNES FRIDERICVS STIEBRITZ,  
HALA MAGDEBVRGICVS.

EDITIO II. RECOGNITA DENVO ET AVCTA.

HALAE MAGDEBVRGICAE

TYPIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP. MDCCXXIX.

62.

a. XCVII. 22.

Coll. diss. A  
2, 22

VIRO  
ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO,  
ATQVE EXPERIENTISSIMO  
DN. FRIDERICO  
HOFFMANNO,

POTENTISSIMO REGI PORVSSIAE A  
CONSILII AVLICIS, MEDICINAE IN ACADEMIA FRI-  
DERICIANA PROFESSORI CELEBERRIMO, FACVL-  
TATIS MEDICAE SENIORI, ATQVE h. t.  
DECANO



DOMINO SPONSORI, PATRONO  
ATQVE FAVORI  
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO  
SPECIMEN HOC ACADEMICVM  
CONSECRATVM ESSE VOLVIT

*RESPONDENS*

IOANNES FRID. STIEBRITZ.



## DISSERTATIONIS PROOEMIUM.

### §. I.



**N**ea, pro dolor! tempo-

ra incidimus, quibus ingenia hominum, eorum maxime, qui ad eruditionis laudem profano animo grassantur, mirum in modum ferociunt, excussoque, ut videri volunt, præiudiciorum † iugo, eas parturiunt

opiniones, quæ ad sacrarum literarum auctoritatem siue per cuniculos subruendam, siue petulantissime euertendam, destinatae sunt.\*

\* §. I. Grauem de hac seculi nostri corruptione post multos alios querelam effundit CAMPEGIVS VITRINGA, in præstantissimo in *Esaiam commentario*, tom. II. p. 915. ubi Inuenit hodie, inquit, impietas suos patronos, nudatae sunt plurimorum cogitationes profanae, & incredibilis quaedam corruptio, gliscens in multorum animis, ubique erupit, & impietas plurimorum animos infecit, iisque letalia vulnera inflixit. Quod crimen dubitari nequit, in rationibus diuinæ iustitiæ censeretur omnium grauissimum, & quidem in tanta euangelii luce. Quam enim vere pudenda, quam nullis la-

A 2

crimis

† Non hic damnamus operam, quæ præiudiciis refellendis exuendisque impenditur; sed præposterum tantum illud studium, quando sub præ-

iudiciorum nomine eximæ veritates, quæ peruersis hominibus non arident, exploduntur, atque in exilium proscribuntur,

*Crimis satis ploranda ecclesiae labe! Ecquis vero futuro aevo spondeat? Quid enim aliud expectandum, quam ut magis magisque homines profanescant?*

§. 2. Aliquas illius farinae sententias, in sacrosanctam scripturae auctoritatem iniurias, nostroque aevo excogitatas, exhibet FRIDERICVS SPANHEMIVS, in adpendice *elenchi controuersiarum de religione*, quae tractat *controuersias, nostra aetate per pseudophilosophos, anti-scripturarios, libertinos, & id genus homines, motas*. Notatu digna sunt verba, quibus vir doctus istam tractationem orditur. *Hydra haec, inquit, est vere πολυκέφαλος, cuius si caput unum praecideris, continua alia renascuntur. Eo autem grauius aduersariorum genus est, quod partim occultis cuniculis ipsa religionis omnis, n. dicam christianae, fundamenta conuellunt, partim aperto Marte in illa inuadunt, larua tamen ut plurimum adsumta. Praeterquam quod frustra solet cum illo hominum genere disputari, qui plerumque συμπακτα, δεκησίσαφοι, pertinaces, suomet iudicio suisque adfectibus traditi, ac cedere nescii, nisi demonstrationibus, quas vellent, a priori & euidenciae mathematicae. Addatur elegans HERM. WITSII oratio, de felici an infelici re ip. literariae hoc seculo statu, vbi mala nostri temporis viuis spirantibusque coloribus depinguntur, miscell. sacr. tom. II. p. 246 seqq.*

## §. II.

Merito istis opinionibus accensemus hypothesin, longe nunc laeque serpentem, qua multa, veritati parum consentanea & ad spurios vulgi conceptus adcommodata, in sacris libris tradi, statuitur. Operae igitur pretium nos facturos esse arbitramur, si istam sententiam curatori examini subiiciamus.\* Ita autem ea in re versabimur, ut primum in huius adsertionis auctores inquiramus; deinde, quid de illa indicandum sit, designemus. Spiritus veritatis ducat nos in omnem veritatem, Amen.

\* §. . Vti sententia illa, post sparsa hinc inde a veteribus femina, praecipue in sinu ecclesiae reformatae in Anglia & Belgio enutrita atque educata fuit, parentibus maxime SPINOZA, BUR-

NE-

NETIO, BECKERO, aliisque, qui horum placita sunt amplexi: Sic a sanioribus etiam eiusdem ecclesiae doctoribus, qui aduersus irreligiosas Burnetii atque Beckeri nugas arma tulerunt, quae irrupentem in theologiae sacrarium philosophiae Cartesianae audaciam scriptis publicis castigauerunt, argumentorum telis confossa fuit.

§. 2. Nostrae ecclesiae doctores, uti proteruum illud rationis humanae decretum fere omnes detestati sunt, ita non omiserunt, data occasione breuiter illud perstringere atque confutare. Fecerunt id praeter alios, quos infra sectione posteriore nominabimus IUSTVS CHRISTOPHORVS SCHOMERVS, in *collegio nouissimarum controuersiarum c. II. §. VIII. p. III.* & qui huic opusculo posthumo dissertationem *de sententiis in scripturam sacram iniuriis* praemisit, CL. HENRICVS ASCANIVS ENGELKE, p. 77. Nec non AVGVSTVS PFEIFFERVS, in *thesauro hermen* p. 477. IO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS, in *Manichaeismo ante Manichaeos* p. 358. aliique. An quis tamen ex instituto dicam huic sententiae scripserit, nobis quidem non constat. Nisi huc referre velis ABDIAE TREW, professoris mathematicum & physices Altorfini, *examen hyperso- phiae antibiblicae*, quod tamen videre nobis nondum contigit, IOANNIS BRUNSMANNI librum: *Gratia naturae interpres, sive defensio communis theologorum sententiae, aientis, sacrae verba scripturae non minus physicis de rebus, quam de ceteris, vim habere probandi*, Francofurti MDCLXXXVIII. & CHRISTIANI KORTHOLTI dissertatiunculam *de iis, qui in iudicio de rebus politicis & physicis ferendo diuinarum literarum proprietatem auctoritatemque temere neglunt*. Sed hi fere id tantum agunt, ut scripturae de rebus naturalibus loquentis auctoritatem factam tectamque tueantur: quorsum etiam pertinent, quae olim in *institut. nostris hermeneuticis* diximus *lib. III. c. IV. p. 480. seqq.* Nunc amplioribus institutum nostrum terminis circumscripsimus, vniuersam illam, quousque se extendit, male sanam hypothesin sub examen reuocaturi, ut, quid monstri intus alat, quousque ex se fructus gignat, intelligatur.

## SECTIO I. HISTORICA

DE PRAEICIPVIS AVCTORIBVS, QVI  
SCRIPTVRAE AD ERRONEOS VVLGI CONCE-  
PTVS ADCOMMODATIONEM STA-  
TVERVNT.

## SYNOPSIS.

*Premittuntur nomina ac testi-  
monia eorum, qui hanc senten-  
tiam amplectuntur, §. I. Tres  
huius sententiae gradus designan-  
tur, §. II. Unde distincte agitur  
de iis, qui scripturam adcommo-  
datam putant*

I. Ad indocti vulgi praepudicia  
atque errores, idque1. In rebus naturalibus, ut fa-  
ciunt

a) Cartesiani plerique & in-  
primis WITTICHIVS.

β) Theoristae, BURNETIVS,  
WHISTON, CLYVERVS.

γ) Alii tum inter veteres, ut  
HIERONYMVS, PROCOPIVS  
GAZAEVS; tum inter recen-  
tiores, ut PETAVIVS, CLE-  
RICVS, CAEMET, FARDEL-  
LA, SPINOZA, STVRMIVS,  
cet. §. III.

2. In rebus astronomicis, ut Co-  
pernicani plerique, STVR-  
MIVS, WILKINSIVS, MEGER-  
LINVS, &c. aliis tamen ab hoc  
loquendi genere abhorrenti-  
bus, ut ZIMMERMANN &c. §. IV.

3. In Rebus medicis, ut BALTH.  
BECKERVS, AL. CHARITIVS &c  
§. V.

## 4. In rebus

a) mathematicis, ut WILKIN-  
SIVS, SPINOZA.

β) historicis, ut auctor iudici-  
orum de Simonii hist. crit.  
vet. test. PEYRERIVS, SPINOZA,  
HARDTIVS.

γ) chronologicis, ut BEROAL-  
DVS, §. VI.

5. In argumentationibus & ra-  
tiociniis virorum sanctorum,  
ut auctor Mosis vindicati, SPI-  
NOZA, RICH. SIMONIVS, CLE-  
RICVS, §. VII.

6. In rebus, quae ad fidem & mo-  
res spectant, ut SPINOZA,  
LEENHOFIVS, BECKERVS, So-  
ciniani, WITTICHIVS, BUR-  
NETIVS, BROWNE &c. §. VIII.

7. In anthropopathiis scriptu-  
rae, ut WITTICHIVS, CLERICVS,  
SPINOZA, §. IX.

II. Ad vulgi stupidissimi captum,  
qualem Israelitarum, Ae-  
gypto

*gypto egressorum, fuisse criminantur; quod faciunt*

1. Athei, *in primis* SPINOZA.

2. Theoristæ, *ut* BURNETIVS.

3. *Qui* leges Mosaicas cærimoniales ingenio Israelitarum, ad ethnicismum proclivius, ad commodatas putant, *ut*

MARSHAMVS, SPENCERVS, CLERICVS. §. X.

III. *Ad stultas vulgi infani & furiosi ideas, ut* BALTH. BECKERVS. §. XI.

*Epicrisis de huius sententiæ patronis, non eodem loco habendis, ut* subiungitur. §. XII.

§. I.

**A**Nte omnia igitur operam nobis dandam esse putamus, ut præcipui (quandoquidem omnes peruestigare nunc non vacat) periculosa opinionis auctores atque patroni lectoribus innotescant, ne cum umbris deinceps & larvis pugnare videamur.

§. II.

Tres autem veluti gradus observasse nobis videmur, per quos ingenium humanum in isthac hypothese defendenda ad summum audaciæ fastigium adscendit. Sunt enim, qui scripturam ad commodatam dicunt ad opiniones vulgi indocti, & philosophicis meditationibus haud adfuefacti. Sunt alii, qui attemperatam statuunt captivi vulgi stupidissimi brutisque simillimi. Sunt denique, qui vulgi prorsus infani & mente capti rationem nonnunquam habitam fuisse somniant.\* De singulis curabimus, ut quædam specimina in medium proferantur.

\* Non omnes tamen eodem loco habendos esse, qui scripturam ad vulgi captum ad commodatam esse statuunt, infra, §. XII. monemus.

§. III.

Primo loco collocauimus eos, qui scriptores sacros ad erroneas indoctæ plebis opiniones stilum ad commodasse putant. Factum id multi\* existimant in rebus naturalibus, quæ mundi ad spectabilis ambitu continentur, in quibus describendis

bendis

bendis plerumque a viris sanctis adhibitas esse formulas iudicant e triuio haustas, & ad spurios vulgi conceptus conformatas.

§. I. Veniunt primum in hunc censum *p'urimi eorum*, qui inter philosophos pariter atque theologos RENATI CARTESII placita amplectuntur. Num tale de scripturis diuinis iudicium CARTESIO ipsi exciderit, nobis quidem non constat. Hodie saltem vix in Batavis esse Cartesianum, qui non scripturæ, utpote ex errore vulgi locutæ, in rebus ad naturam pertinentibus veritatem pridem abiudicari, adseritur in *miscell. Lips. tom. XII. p. 315.* Adde ven. CHRISTIANI EBERHARDI WEISMANNI *hist. eccl. nov. test. tom. II. p. 907.* Inuentus tamen inter Cartesianos fuit IO. AMERPOEL, Groninga-Frisius, qui scripsit *Cartesium Mosaizantem, siue euidentem & facilem conciliationem philosophiæ Cartesianæ cum historia creationis, per Mosén tradita*, Leonardia MDCLXIX. quo in libro Cartesii placitis Mosi verba aptare omni conatu studet. Neque inter philosophos tantum isthæc hypothesis substitit; sed a theologis etiam, CARTESIVM venerantibus, adoptata fuit. Eminent inter eos in hac sententia mordicus defendenda CHRISTOPHORVS WITTICHIVS, theologus Lugduno-Batauus, doctus ceterum & pacificus, qui scripta dissertatione *de stilo scripturæ, & alia, de abusu scripturæ in rebus philosophicis*, magnam sibi inuidiam apud fratres suos conflauit; quam, ut mitigaret, in libro: *Consensus veritatis cum veritate philosophica ex mente Renati Cartesii*, duriora, quæ ipsi exciderant, verba cum mollioribus commutare studuit, docuitque, scripturam, de rebus naturalibus loquentem, eiusmodi locutionibus uti, quæ generalem quidem veritatem dicerent, sed ex vulgi tamen præiudiciis ortum traherent, inque inniterentur. Verum & illud durius erat, quam ut ab aduersariis eius concoqui potuerit, inter quos maxime numerauit IACOBVM DVBOIS, qui aduersus ipsum vindicauit *veritatem & auctoritatem scripturæ in naturalibus & astronomicis*, PETRVM VAN MAESTRICHT, qui scripsit *vindicias veritatis & auctoritatis sacræ scripturæ in rebus philosophicis*, IACOBVM REVIVM, IO. HERBINVM, MARTINVM SCHOOCKIVM, aliosque. Ex nostris cum

cum



cum eo congressus est IO. BRUNSMANNVS, in libro: *Gratia naturae interpret.*

§. 2. Porro noui illi *telluris architecti* huc pertinent, quos *theoristas* vocare eruditi solent, qui tellurem nostram mechanica quadam ratione, secundum leges motus ordinarias eam, quam nunc obtinet, formam induisse contendunt. Viam his aperuit RENATVS CARTESIVS, qui tamen dicere non audebat, mundum ita esse factum; sed tantum, fieri ita potuisse. Verum alii mox vltius progressi, mundum quoque ita, prout illis visum est, factum confinxerunt. Audaciae exemplum reliquis praëiuit THOMAS BURNETIVS, Scotus, vir singulari imaginandi facultate praeditus, & multiplici doctrina excultus, qui anno MDCLXXXI. Londini edidit *Telluris theoriã sacram, orbis nostri originem & mutationes generales, quas aut iam subiit, aut olim subiturus est*, quatuor libris complectentem; quod scriptum anno eiusdem seculi XCVIII. ex latino in germanicum sermonem transtulit & Hamburgi publicauit IO. IACOBUS ZIMMERMANNVS. Huic BURNETIVS anno eiusdem seculi XCII. adiecit *archaeologias philosophicas*, in quibus hypotheses, quas in theoria ex ipsis rerum causis deducere conatus fuerat, testimoniis veterum philosophorum confirmare maiori-que eas confidentia defendere adgreditur. Eadem vestigia pressit celeberrimus ex schola Newtoniana mathematicus, Arianismi veneno deinde infectus, audacissimisque hypothesibus criticis, † in scripturae auctoritatem grassatus, GVIL. WHISTON, qui edidit *A new theorie of the Earth*, hoc est *Nouam theoriã telluris*, quæ, in linguam germanicam translata, prodit Francofurti MDCCXIII. Accessit DETHLEVI CLVVERI, mathematici non incelebris & societatis Anglicanae sodalis, *geologia*, Hamburgi MDCC. vulgata.

§. 3. Isti igitur viri quum suis, quos vigilantes somnia-

B

mi-

\* Quas ex instituto confutauit  
cel. Io. Gottlob Carpzovius in cri-  
tica sacra V. T. parte III. quam

in anglicanum etiam sermonem  
conuersus Iudæus nuper ver-  
tit,

minime fauere viderent, eo tandem audaciæ procefferunt, ut Mosen non philosophica, sed crassa quadam & populari ratione rem narraſſe dixerint, non uti geſta fuerit, ſed uti vulgo intelligi concipique potuerit. Paſſim BURNETIVS ſuam de hac re mentem aperte ſatis & ſine verborum ambitu prodiit. Ex *theoria telluris ſacra* (quam *præſanam* alii dixerunt maxime huc pertinet *libri II. c. VIII.* ex qua pauca huc tranſcribemus. Utimur autem editione, quæ forma minori Francofurti ad Mœnum a. MDCXCI. prodiit. ibi p. 236. ita diſſerit: *Mosen methodum illam philoſophicam hic abrumpit, aliamque ordine humanam, aut ſi mauis, theologicam, qua, motibus chaos, ſecundum leges naturæ plane neglectis, popularem narrationem de ortu rerum inſtituit, - Facile nota e licet hanc coſmopœtiam non eſſe philoſophicam, neque hic tranſiri ab una claſſe rerum ad aliam ordine & nexu phyſico, ſecundum motus & tranſformationes chaos (quas ſcil. BURNETIVS, non aliter ac ſi creationis negotio præſens interfuiſſet, *Φαντάζεται*) ſed omnipotenti Dei verbo euocat in ſcenam Moſes unum poſt aliud, eo ordine, quo maxime viſum eſt neceſſarium quodque, ad inſtruendum & ornandum orbem habitabilem. Qua in re ſatis obſeruaſſe mihi videtur τὸ πῆγρον populare. Incipit enim a luce, ad illuſtranda ſpatia mundana ne Deus videretur in tenebris operari, quod a populo incongruum haberi potuiſſet. Lædit etiam imaginationem quodammodo, mundam tenebricoſum, aut opera Dei, tenebris immerſa, contemplari. Vnde autem venit hæc lux, aut quo fugit nocturno tempore, Deus videat; id non curat populus. Quæ in *archælog. phil. lib. I. c. VIII.* non ſine inſigni in virum *Ἰερόπνεστον* iniuria hiſ verbis repetit: *Quum de luce primigenia agitur in primo die creatiſ, id phænomenon eſt inexplicabile ratione phyſica. Sed ne Deus videretur in tenebris operari per triduum, oportunum viſum eſt Moſi ſub ipſo initio temporis lucem proferre. Ad qualem lucem? Sine fonte, ſine ſcaturigin? Lux autem, ſi philoſophemur, proſtuit ab aliquo centro, ubi cor & principium eſt ſui motus. Ita hæc autem**

cosmo.

cosmopœia prodit lux ante omnem distinctionem cœlorum in orbes vel vortices. Pergit censor Mosaicæ historiæ in theoria telluris, p. 237. Historiæ suæ de telluris origine inseruit etiam Moses solem & sidera, quæ tamen non propterea credenda sunt a chaos terrestri originem traxisse, (innumeris nimirum ante conditam terram seculis sidera illa cœlestia extitisse Burnetius credit) sed quum a populo spectentur vi terris vicina, neque maiora esse pila sesquipedali, facite creduntur e terra & mundo inferiori educta esse, ut meteora ignea. Quod vero lunam ceteris stellis maiorem exhibeat, id in philosophia vulgi verissimum est. -- Id enim in rebus naturalibus M. si in usu est, potius impingere in philosophiam, quam in opiniones & captum vulgi. Denique quod mundum sex dierum spatio absolutum supponat, & exinde Deum requiescere ab omni suo labore, id manifestam rationem habet: Sabbatum enim instituere secum decreuerat, atque institutum suum Dei exemplo & absoluti mundi memoria ratum facere. De aquis supra cœlestibus in archæol. philos. lib. II. c. VIII. ita philosophatur: Quum generationem naturalem pluriæ per vapores non caperet populus, sed illum cœlo diuinitus mitti crederet, Moses statuit commune receptaculum aquarum super cœlos; ut Deus pro lubitu laxati vel occlusi cataractis, pluuiam dimittat vel retineat. Hæc mihi videtur mens atque consilium sacri auctoris quoad aquas cœlestes. Atque hoc modo dignitati Mosis optime consulitur, (scilicet) si, quoties recessum est a veritate physica, id fieri supponamus κατὰ στυγατάβαση, ad vires usumque populi suam cosmopœiam accommodando. Plura talia, quibus Mosis de creatione historia in fabulam conuertitur, in usum vulgi confictam, scripta Burnetiana passim subministrant.

§. 4. Eandem cum Burnetio tibiam inflat GVIL. WHISTON, in noua theoria telluris, cui si credimus, Moses non nisi formationem nostræ telluris descripsit, non intra sex dies, sed intra sex annos mechanica quadam ratione absolutam. Hinc in ampla præfatione de natura Mosaicæ historiæ creationis p. 19. versionis germanicæ, disertè ait: Hier bemercke ich, daß die Schrift

B 2

durch-

durchgehends sich selbst nach den allgemeinen vorgefaßten Meynungen der Menschen in Erzählung solcher Stücke der natürlichen Welt-Weisheit, welche sie nicht begreifen können, richte. Similiter postquam adseruerat, corpora caelestia multis retro seculis ante telluris nostrae formationem, adeoque ante Mosaicum rerum principium, extitisse, addit p. 34. Mosen, *ut captui plebis Israeliticae sese attemperaret*, horum corporum mentionem historiae creationis inieruisse, eaque ut globos igneos in atmosphæra nostra pendentes repræsentasse, weil kein andet Mittel gewesen, der Neigung der Juden, diese himlische Körper anzubeten, Einhalt zu thun, als dieses, daß sich Moses nach der Fähigkeit des gemeinen Volcks *adcommodatet*. Quibus philosophematibus annon *piæ fraudes* integerrimo viro tribuantur, alii viderint. BURNETIVS profecto ab iis Mose impingendis, minime alienus est. *Vt medici, inquit in archeol. p. 461. aut parentes, ægrotos, pueros, aut mentis male composites, in suum ipsorum comm. dum fallunt & decipiunt: sic Moses consultum censuit, rudem & indocilem plebem eodem tractare modo, fraude non mali, sed in commune bonum salutari.* Quidni aperte dixit homo profanus Mosen impostoribus esse adnumerandum? Quidnicum IO. TOLANDO in *adeisidæmone* p. 8. ad DIODORISICVLI suffragium prouocauit, qui lib. I. *bibliothecæ historicae* c. XCV. p. 82. ed. Wechel. *Apud I. deos, inquit, Moses Deum, quæ IAO dicitur, legum suarum auctorem finxisse perhibetur: siue quid admirandum prorsu. & diuinum esse iudicaret commentum illud. quod in societati humanae commodum exiret; siue quod vulgus ad maiestatem & potentiam illarum, qui leges inuenisse dicerentur, respiciens, dicto magis auariens fore existimaret.* Sed vide quid de eiusmodi imposturis iudicet B. IO. GVIL. BAIERVS, in diff. Ienæ MDCLXXXVI. habita, *de propagatione fidei per reu. lationes fictas*, & cel. CHRISTIAN GOTTLIEB SCHWARZIVS in diff. Altorfi MDCCXIX. habita, *de piis fraudibus.*

§. 5. *Alii denique inter veteres & recentiores sunt, qui simile quid adseruerunt. Ex veteribus nominamus beatum HIERONYMUM, de re exegetica immortaliter meritum, qui in comm.*  
ad

ad Gal. III. hæc adnotat: *Verba*: Quis vos fascinavit? digne Paulo, qui etsi imperitus est sermone, non tamen scientia, debemus exponere; non quod scierit, esse fascinum, qui vulgo putatur nocere, sed usus sermone sit trivii, & ut in ceteris, ita in hoc quoque loco, verbum quotidianæ sermocinationis adsumserit. Dicitur fascinus proprie infantibus nocere & ætati parvule. Hoc virum verum necne sit, Deus videat. Nunc illud in causa est, quod ex opinione vulgi sumtum putamus exemplum; operum tom. IX. p. 133. ed. Francof. Similiter in Ier. XXVIII, tom. V. p. 278. Multa in scripturis sanctis dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, & non iuxta id, quod Dei veritas continebat. Addimus PROCOPIVM GAZARVM, rhetorem seculi sexti haud incelebrem, qui in comm. in Octateuchum: Moses, inquit, in describendo mundi opificio sex dierum usus est distinctione, docendi gratia, ob tarditatem videlicet ruditateque Iudeorum. Deus namque simul cuncta fecerat.

§. 6. Ex recentioribus huc pertinet DIONYSIVS PETAVIVS, dogm. theol. tom. III. tract. de opificio sex dierum, lib. I. c. XI. p. 143. Sane Mosén vulgi maxime captui vsuique servisse, non ad exactam philosophiæ normam dicta sua temperasse; illud etiam ostendit, quod die quarto luminaria duo magna, solem ac lunam, creasse Deum refert, quum siderum tamen omnium luna sit minima. Sed quod vulgus ita iudicat, qui oculis ac sensibus omnia metiri solet, ideo sic Moses loqui non dubitavit. † Quibus verbis THEOPHILVS ALETHINVS, hoc est, IO. CLERICVS, in adiecta nota hanc hederam adpendit: *Egregia hæc est observatio!* quasi vero magnæ artis esset, hæc talia observare. In eandem sententiam concessit AVGVSTINVS CALMET, monachus Benedictinus, multis scriptis celeberrimus, qui in *ditionario biblico*, quod lingua Gallicana Parisiis MDCCLXXII. prodiit, tom. I. p. 302. sub voce *Firmament*, hæc habet: *Les Ecrivains sacrez se proportionnent d'ordinaire aux preiugez du*

B 3

peuple

† Opus creationis secundum opinionem vulgi a Mose describi, etiam

iudicat Tyssot, in *discours sur la creation*.

peu de, dans ce sortes de choses, dont la connoissance est assez indifferente. Sed & hic lapsus est STEPH. GAUSSENVVS, vir doctissimus, in *dissertationibus theologicis*, cum nostra præfatione Halæ recensis, p. 300. *Quod physica in scripturis tractantur, id sit illustrationis causa tantum, quum non, quod maxime verum est, sed quod maxime verum esse plebi videtur, auctores sacri edisserant.* Eodem effugio usus est MICHAEL ANGELVS FARDILLA, philosophus Siculus, ante paucos demum annos, post multa grauissima munera, defunctus. Is, quum contra absurdissimam, quam defendendam susceperat, sententiam, non dari extranos alia corpora, sibi met ipse verba Christi ad discipulos obiecit: *Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, ut me habere videtis*, Luc. XXIV, 39. audacter respondet, *Christum hic esse locutum secundum opinionem ac dialecticam vulgi*; vti refert VEN. CHRIST. MATTHAEVS PFAFFIVS, in *oratione de egoismo*, p. 16. Eadem sententia per totum tractatum theologico-politicum BENEDICTI SPINOZAE regnat. Ex physicis recentioribus vnum adicimus, qui instar omnium esse potest, celeberrimum egregiumque virum, IO. CHRISTOPH. STURMIVM, qui *phys. hypotheticæ tom. II. p. 554.* *Quicumque, inquit, conuictos se sentiunt, plurima in sacris literis incidenter & per occasionem dici, de rebus præsertim ad fidem nihil pertinentibus, quæ aliter, & vti res ipsa habet, dicta, simplicem plebeculam (cuius vtilitati vel maxime destinatus est cod. & reuelationis) magis turbarent & confunderent, quam informarent: in iis ad opinionem & præiudicia vulgi passim se accommodare spiritum sanctum, & speciatim de systemate mundi & terræ motu, ex vulgari sententia potius, quam ex opposita, si maxime verior esset, vbi que loqui tanto securius credant, quod de se ipso quoque Deus ea passim loquatur, ἀπὸ θεοῦ πρὸς τὸν λαόν dicta & plebis simplicitati accommodata, ipsi prudentiores theologi agnoscunt.* Quæ verba nollemus viro summo excidisse.

## §. IV.

Ad res naturales stupenda illa corpora cælestia pertinent, quorum frequentem Spiritus sanctus in diuinis literis

ris

ris facit mentionem. Sunt vero haud pauci, qui eum in istiusmodi locis, de rei veritate parum sollicitum, falsissimis, & ex parte puerilibus imperiti vulgi conceptibus plerumque obtemperare dicunt\*; quamvis non desint inter rei astronomicæ consultos, qui aliam viam magis tutam hic ingrediuntur.\*\*

\* §. 1. Plerumque ad hanc hypothefin, nunquam ad sacram anchoram, confugiunt systematis *Copernicani* defensores, quod nomen suum debet NICOLAO COPERNICO, qui anno MCCCC LXXIII, Thorunii in lucem editus, præstantissimum, quod nactus erat, ingenium ad arcana corporum cælestium perscrutanda adplicuit, neque hypothefin *de terræ circa solem motu*, multis iam veterum cognitam, in orbem eruditum reuocauit, nouisque argumentis suffulfit in *libris sex de reuolutionibus orbium cælestium*, paulo ante obitum editis & Amstelodami MDCXVII, sub titulo *astronomicæ restauratæ* recufis; cuius deinde hypothefin de quiete solis & motu terræ diurno atque annuo, magno agmine secuti sunt MOESTLINVS, KEPLERVS, GALILAEVS a GALILAEIS, qui tamen senex sententiam suam coram senatu cardinalium eiurare coactus est, FOSCARINVS, BRVNVS, HERIGONIVS, GASSENDVS, CARTE-SIUS, SCHIKARDVS, HEVELIVS, alique; ex recentioribus NEWTON, BERNOULLI, ZIMMERMAN, HUGENIVS, FLAMSTEDIUS, CASSINI, STURMIVS, WHISTON, KEILIVS, WOLFIVS, WURTZELBAVERVS, reliqui.

§. 2. Inter hos igitur Copernici asseclas plurimi sunt, qui obiecta ipsis loca scripturæ, quæ ipsorum hypothefibus minus fauere videntur, hac responsione, velut admoto ariete, prostertere & omni auctoritate exuere fatagunt, quod *scripturam de rebus astronomicis loqui ex opinione vulgi, sensuum testimonio suffulta*, adeoque non esse in hoc foro audiendam, audacter pronuntient. †

§. 3.

† Historiam & progressum huius hypotheseos recenset cl. Io. Hermann Becker, in *theoria motu, cir-*

*ca solem telluris, scripturæ non inuimæ, p. 9.* quem librum deinceps commendabimus.

§. 3. Celeb. STURMII ea de re verba ad finem paragraphi antecedentis allegauimus; cui nunc testem adiungimus IOANNEM WILKINSIVM, episcopum Cestriensem doctissimum, qui in *Copernico defenso lib. II. c. II. p. 14.* versionis germanicæ, a clar. *Doppelmaiero* adornatæ, sic ait: Ich antwor- te auf die *loca*, die dieser Meynung entgegen zu stehen scheinen, daß dem heiligen Geist beliebt habe, sich in diesen Schrift- *Expressionen ad captum vulgi & sensum vulgarem*, wie es der gemeine Mann versteht, und es ihm vorkommt, zu *adcom- modiren*. Et pag. 16. Der heilige Geist hat uns gewürdiget, seine *Expressionen* nach den Fehlern und Irthümern unsers Verstandes vorzustellen. Pag. 17. in Psalmo XIX, 5. 6. seqq. *multas dicit esse locutiones*, die nach dem Schein der Sachen, und falschen Wahn der Leute gesprochen worden. *Toto denique capite III. p. 22.* auctor se comprobaturum promittit: Daß der heilige Geist in gar vielen Schrift- Stellen seine *Expressiones* nach den Irthümern unsrer Meynungen gänzt- lich richte, und von verschiedenen Dingen, nicht wie sie an sich selbst sind, sondern wie sie uns vorkommen, rede. Vbi etiam p. 23. CASP. SANCTIVM, MERSENNVM, CALVINVM, ali- osque tanquam secum consentientes, laudat. Addimus te- stimonium PETRI MEGERLINI, mathematicum apud Basi- leenses olim professoris, in *Systemate mundi Copernicano argu- mentis inuictis demonstrato*, Amstelodami, MDCLXXXII edito, p. 73. *Dicta Scripturæ in rebus fidei exam. naturus secundum analogiam fidei; at in naturalibus (vt Copernicani, ne pro contemptori- bus sacræ scripturæ habeantur, respondere solent) videtur, adhi- bendam esse analogiam naturæ, & verum ac genuinum sensum non ex libro scripturæ, sed naturæ petendum. Scriptura enim, vt scopum suum in omni genere hominum, etiã in pueris & vul- go, obtineat, vtitur de rebus naturalibus incidenter loquens ser- mone vulgari ac formulis receptis, etsi opinionibus ex præiudicio sensuum erroneis innitantur.* †

\*\* Dis-

† Similia leguntur apud Petr. micis, lib. III. cap. X. pag. 161. edit. Cassendum, in institut. astrono- Lond.



\*\* Diffimulandum non est, non omnes, qui Copernicanum systema adoptarunt, lubricæ huic viæ insistere.

§. 1. Sunt qui mitiores loquendi formulas asperioribus substituunt, ex. gr. Scripturam de rebus philosophicis, naturalibus, astronomicis, *non exhibere conceptus distinctos, sed tantum historicos*, quibus cognitio rerum, non prout sunt, sed prout sensibus atque imaginatione comprehendantur, subministratur. Vide Viri clarissimi, IO. BERNHARDI WIEDEBURGII *diff. qua systema Copernicanum scripturæ non esse oppositum demonstratur*: qui tamen multa populariter dicta in sacris literis occurrere concedit. Sic p. 10. *Cæli*, inquit, *fundamenta dari Job. XXVI. 11. traditur; quæ, si conferas 2 Sam. XXII. 8. sunt terra, & speciatim montes eius: quod sane satis vulgariter dictum, ac si cælum montibus, vel, ut olim fabulabantur, Atlanti incumbentes.*

§. 2. Alii longius adhuc ab hac scripturæ accusatione recedendum putant, eiusque testimonium de natura rerum, corporumque cælestium, cum reuerentia audiendum esse decernunt. Inter quos IO. IACOBVS ZIMMERMANNVS nomen suum profitetur, in tract. *Scriptura sacra Copernizans*, das ist, ein ganz neuer und curioser Astronomischer Beweisthum des Copernicanischen Welt-Gebäudes aus heiliger Schrift, qui Hamburgi MDCCVI. recusatus est. Is statim in exordio libelli, pag. 9, hanc edit confessionem: *Ich erkenne und bekenne in aller Demuth, daß der Stilus der Heiligen Schrift keinesweges popularis, und nur ad captum vulgi adcommodiret seye, wie bishero die Copernicaner zu Behauptung ihres systematis fingiret haben; sondern vielmehr auch in den naturalibus voller Wahrheit und Geheimnissen steckt. Sintemalen das Zeugniß des Herren gewiß ist, und die Augen erleuchtet. Magnam ille auctor præ se fert verbi diuini venerationem, quam etiam spirat exercitatio eius theoricorum Copernico-cælestium mathematico physico-theologica, quam sub nomine PHILALETHÆ, anno MDCLXXXIX. vulgavit, quamque B. IO. HENR. MAIVS, in æcon. temp. vet. test. p. 23. 37. 51. 70. 78. 85. 90. non sine laude adlegavit.*

C

auctori

auctori, *acta erudit. Lips. anni MDCXC. p. 261.* Num vero boni viri explicationes semper a vi scripturæ verbis illata absolui possint, quando eius effata cum Copernicanis hypothesebus amicissime conspirare contendit, alia quæstio est. Certe quæ ZIMMERMANNVS ad loca *Ios. X, 12. 13. Psal. XIX. 6. 7. Cohel. I, 5.* cum systemate Copernicano concilianda† protulit, plus ingenii, quam soliditatis habere, multisque obnoxia esse exceptionibus, ostendit CL. SAMVEL CHRIST. HOLLMANNVS, in *diff. de obligatione astronomi Christiani erga scripturam S. Wittebergæ, MDCXXV. habita, pag. 77. sqq.* Ingenua est confessio, quam modestissimus STURMIVS Copernicanæ sententiæ ipse addictus, in *phys. hypoth. tom. II. p. 552.* edit: *Tametsi nonnulla ab Anti-Copernicanis adduci solita e scripturis loca, commodam admittant interpretationem, quo minus aduersari Copernici adseruis dicenda sint: occurrunt tamen aliqua, quæ, si cordate & ingenue, quod res est, dicere velimus, secundum literalem & obuium verborum sensum aliorsum se detorqueri non patiuntur, quin terræ stabilitatem, cælo vero & stellis, præcipue vero soli, motum adæalem attribuant; tantum abest, ut, quod nonnulli facere sunt ausi, ipsa sacras litteras, tanquam a partibus Copernicanorum stantes, allegare præsumant.* Unde pag. 554. hoc consilium ingenue suppeditat: *Quicumque religioni sibi ducunt a littera scripturæ recedere, iis utique consulero, ut vulgari seu Tyconicæ hypothesei adherescant: quia Copernicana, utut facilior, concinnior & rationi magis conueniens, tanti tamen non est, ut cum scrupulo conscientie foueatur.*

§. 3. Alii controuersiam de motu terræ ex scripturis sacris dirimi decidique non posse statuunt, eamque adeo neque systemati Copernicano contradicere, neque Anti-Copernicano fauere pronuntiant. Sic CHRIST. WOLFIVS, in *elementis*

† Scripturam cum systemate Copernicano conciliari posse, etiam statuunt Geierbrand in tr. von mehze als einer bewohnten Welt p. 157. seqq. Cl. Fried. Wucherer in *historia creatio-*

*nis, observationibus physicis illustrata,* p. 175. ff. Cl. Horrebonius mathematicum in academia Hassniensi professor, in tr. *Copernicus triumphans*, qui Hassniæ, MDCCXXVIII. prodiit, alique.

*matheſeos, tom. II. p. 504. & in Anfangs-Gründen der Aſtronomie* §. 368. p. 1246. MICHAEL GOTTLIEB HANſCHIVS, qui libello germanico, Francofurti excuſo MDCCXXV. Abbildung der Predigten im erſten Chriſtenthum, appendicis loco p. 163. adiecit: Entdeckung der wahren Urfach, warum aus der heil. Schrift nicht könne ausgemacht und entſchieden werden: Ob die Sonne täglich um die Erde laufe, oder ob die Erde ſich täglich um ihre Achſe bewege.

§. 4. Alii denique contenti ſunt, ſi demonſtrauerint, *ſcripturam ſacram*, ſi vel maxime non faueat Copernicanis (vt ZIMMERMANNVS voluit) tamen *aduerſus eos non militare*, adeoque Copernicani ſyſtematis defenſores non opus habere frigidis illis & intutis exceptiunculis de adcommodatione ſcripturæ ad captum vulgi, ſed ſtare hypotheſin Copernicanam poſſe cum ſtilo & auctoritate ſacrarum litterarum. Demonſtrandum id nuper laudabili ſtudio ſumſit CL. M. IO. HERM. BECKER in *theoria motæ circa ſolem telluris, ſcripturæ non inimica, Raceburgi, MDCCXXVI.*

§. V.

Multa paſſim in ſacris paginis reperiri ad forum *artis ſalutaris* pertinentia neminem fugit. Fuerunt itaque, qui in illis etiam rebus multa, ad plebis opinionones adcommodata, mira ſagacitate detexerunt; \* quaſi illis locis non alia medicina parari poſſit, niſi ex noxia illa hypotheſi accerſita.

\* §. 1. Nihil in ſacro codice de rebus medicis conſignatum legi, quod non cum rei veritate medicorumque obſervationibus optime conueniat, viri doctiſſimi, qui in morbis biblicis perſcrutandis laborauerunt, THOMAS BARTHOLINVS, CHRISTIANVS WARLIZIVS, VALENT. HENR. VOGLERVS, CONRADVS IOHRENIVS, GVIL. ADERVS, aliique, fatiſ euidetum dederunt; quorum ſcripta laudauimus in *inſtitut. noſtris bermen. p. 491. ſeqq.*

§. 2. Sed aliam viam hic ingreſſus eſt D. BALTHASAR BECKERVS, eccleſiaſtes Amſtelodamendiſis, in libro, cui titulum

lum mundi fascinati imposuit, cuius duæ priores partes Leo-wardi MDCXC lingua Belgica in publicum emissæ, & anno sequenti Amstelodami recusæ, mox tertia & quarta parte auctæ, inque linguam germanicam, gallicam, aliasque transfusæ prodierunt. Certatim tamen virorum doctorum calami in illum lasciuientis rationis foetum, in quo ὁμολογημένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς αἰσεβείας μυσήριον, infurrexerunt; quippe ab EBERHARDO VAN DER HOOGT, IO. WAYENIO, HENRICO GROENEWEGEN, MELCH. LEIDECKERO, IOANNE MARCKIO, PETRO VAN MAESTRICHT, PETRO POIRETO, cet. & inter nostræ ecclesiæ doctores a IO. WINCLERO, NATHANAELE FALCKIO, CHRISTIANO HOCHSTETTERO, ZACH. GRAPIO, aliisque confossus & prostratus fuit, licet nec defensoribus suis impium scriptum caruerit. Quæ de re BENTHEMII *Holländischer Kirchen- und Schulen-Staat, part. II. c. VI.* videri potest.

§. 3. Nullos in hoc scripto BECKERVS homines a caco-dæmone obsessos agnoscit, sed (quæ etiam fuit VANINI, POM-PONATII, HOBBSII, aliorumque, male sana opinio) per *dæmonia*, quæ Christus in tabulis noui testamenti toties totiesque eiecisse legitur, *morbos* intelligit, ab atræ bilis humoribus profectos, & oblæsum per graua symptomata cerebrum, cum furore aliisque paroxysmis vehementissimis coniunctos; quos morbos euangelicæ historiæ conditores, ex inueterato iudaicæ gentis errore, cui & Christus sese dictis factisque adcommoda-uerit, dæmonum operationibus adscripserint. Hinc FRID. SPANHEMIVS, in *adpendice clenchi controuersiarum p. 795. sq.* his verbis mentem Beckeri exponit: *Dæmonia vocari censet morbos, quibus mens turbaretur. Dæmoniacos; qui vexarentur morbo epileptico, aut phrenetico, aut hypochondriaco, aut furore quodam, qualis ille, qui transit in porcos. Hinc scripturam, ipsumque Christum, de eiectione dæmonum loqui ex peruersa opinione gentilium aut iudeorum, qui dæmonibus multa tribuebant, aut qui vere homines a dæmone obsideri censebant, sic vere e corporibus eiici. Nec enim venisse Christum, ut corrigeret erroneas opiniones vulgi, sed peruersos mores; immo istas adhibuisse in rem suam, ac voluisse, ut crederent Iudæi, se dæmonia eicere,*

te,

re qui nullum v. quam vere eiecerit. Eodem modo Beckeri sententiam exprimunt *Acta erud. Lips.* an. MDCCXII. pag. 25. VERN. CHRIST. EBERH. WEISMANNVS in *introduc.* ad *memorabilia hist. eccl. nou. test. tom. II.* p. 954. GVIL. HENR. BECKHER, in *schediafmate critico-literario, de controuersis præcipuis, BALTH. BECKERO quondam motis §. III.* p. 6. vt alios nunc taceamus.

§. 4. Neque sane iniuriam BECKERO hisce imputationibus fieri, neque ad inuidiam ipsi constandam talia coniectaria ex eius sententia emungi, satis ostendunt, quæ *mundi fascino* lib. II. c. I. & XXVIII leguntur. Quid apertius, quam quæ c. XXVIII. §. XIII. ed. germ. reperiuntur: Man siehet klar genug, daß es die Weise des grossen Meisters gewesen ist, die Menschen nicht allein zu der Zeit in solchen Irrehümern zu lassen, sondern sich auch nach der Sprache zu fügen, die zum Theil aus solchem Mißverstände entstunde. Et §. XV. Weil der Seligmacher nicht vorhatte, die Wahrheit dieser Dinge noch zur Zeit zu erklären, so konnte er auch davon nicht anders reden, als man redete, so er wolte verstanden seyn. Er gab den Brandheiten solche Namen, als sie unter dem Volck hatten, welches niemand fremde vorkommen muß, weil dieses aller Weisen Regel ist: *Loquendum cum multis, sentiendum cum paucis.* Also that Christus auch. Gott läset seine Sonne aufgehen, sagt er, *Matth. V, 45.* Worüber? denn eigentlich gehet sie um, nicht auf, noch unter, wie das gemeine Volck es verstehet, Eandem fere sententiam, quam uis dubius adhuc & incertus, nuper repetiit IAC. BASNAGIUS lib. V. *historia iudaica*, gallice conscriptæ. c. XII. §. X. vbi ait: *L'Ecriture appelle peut-être demoniaques, & possède par le malin Esprit quelques personnes, qui étoient plongées dans une melancholie si noire, qu'elle produisoit des funestes effects.* Ab eadem non alienus esse videtur personatus aliquis ALOYSIUS CHARITINVS † in *Discours von betrüglichen*

C 3

lichen

† hoc est Iac. Brunsmannus, vir doctissimus; qui tamen in noua editione illius scripti, quæ

MDCCXXVII. prodit, ad sui defensionem nonnulla mouit, pag. 41 seqq.

lichen Kennzeichen der Zauberey, *part. III. §. 9.* vbi scribit: Es läßt sich noch vieles erinnern, ob dergleichen leibliche Besitzungen des Teufels wahrhaftig sich zutrügen. Auf die Exempel des neuen Testaments, da gelesen wird, daß Christus viel Teufel ausgetrieben, antworten andre, daß die Heilige Schrift ad captum vulgi sich in Redens-Arten und *phrasibus adcommode*, indem ihr Endzweck gewesen, einziglich den Weg zur Seligkeit zu zeigen, und nicht das wahre und falsche in der Philosophie zu berühren. Sed *latius forte, quam credimus sparsæ a Beckero opiniones serpsent, passimque apud multos latet anguis in herba. Pertinet enim mundus ille fascinatus inter cimelia bibliothecarum selectarum eorum hominum, qui supra vulgus sapiunt, nec inter barda ingenia & popularia volunt numerari; obseruante ven. WEISMANNO in hist. eccl. tom. II. p. 953.*

### §. VI.

Eadem dica sacris literis scribitur in rebus *mathematicis, \* historicis, \*\* chronologicis, \*\*\** in quibus veritas suprema lex esse debet. Fuerunt enim, qui in hoc etiam rerum genere scriptores sacros imperiti vulgi exemplum falsissimasque opiniones sequutos esse, audacter confirmarunt.

\* Exempli loco nobis sit *mare æneum*, haud postremum templi Salomonei ornamentum, cuius latitudo siue diameter X cubitorum; circumferentia XXX cubitorum fuisse dicitur 1 Reg. VII, 23. seqq. quibus verbis proportio inter diametrum & circumferentiam circuli exacte *tripla* fuisse perhibetur. Quum vero mathematicorum filii dudum obseruarint, eam fere *triplam sesquiseptimam* esse sicut XXI se habet ad VII, vel, ex aliorum calculo, sicut cccxv ad c; vt adeo decem cubitorum diametro respondeat circumferentia non XXX, sed XXXI  $\frac{2}{3}$  cubitorum: non defuerunt qui scriptorem sacrum *ad errorem vulgi*, mathematicis scientiis haud imbuti, respexisse iudicarunt. Descendit in hanc sententiam IOANNES WILKINSIVS, in *Copernico defenso, lib. II. c. III. p. 27.* Eandem libenter amplectitur BENED. SPINOZA, in *tract. theologico-politico, c. II. p. 22.* vbi: *Quia, inquit, non tenemur credere, Salomonem mathematicum fuisse, licet nobis adfirmare, eum rationem inter peripheriam & circuli diametrum*

trum

trum ignorasse, & cum vulgo operariorum putauisse, eam esse ut  
 tria ad unum. At enim pridem viri docti obseruarunt, isthoc  
 gladio ad hunc nodum secandum non opus esse, quum alia  
 commodiorque explicandi ratio adferri possit, quæ & cum  
 principiis geometricis amice consentiat, & simul scripturæ  
 fidem auctoritatemque ab obiecto ἀγνοουμένης crimine liberet:  
 qualem post FREYERVM, STVRMIVM, REYHERVM, HAM-  
 BERGERVM, CLAVSINGIVM, aliosque proponit ven. SAL-  
 DEYLINGIVS, in *obseru. sacr. lib. I. obs. XXIII. p. III. seqq.*

\*\* §. 1. Sic e.g. prodierunt iudicia quorundam theologorum  
 Hollandiæ de Rich. Simonis historia crit. vet. test. in quibus inter  
 alia audaciæ portenta, pentateuchi consignatio, Mosi abiudicata,  
 tribuitur sacrificulo, nescio cui, Israelitico, ad formandos in ve-  
 ra religione novos terræ Israelis colonos a rege Assyriorum mis-  
 so, 2 Reg. XVII, 27. 28. At vero quum facile præuideret mon-  
 strosæ illius coniecturæ parens, obstare sibi IESV CHRISTI  
 auctoritatem, qui Ioan. V, 46. & aliis locis pentateuchum ut  
 Mosi opus adlegauit, quem Paulus etiam Rom. X, 5. cete-  
 rique apostoli sequuti sunt: in promptu responsio est p. 129.  
 Christiano homine prorsus indigna: *Quia Christus & apo-  
 stoli non venerunt in mundum, ut Iudæos criticam docerent, mi-  
 rum non est, si loquantur secundum opinionem vulgarem. Parum  
 referre credebant, an Moses pentateuchi auctor sit, an quivis ali-  
 us, modo historia pro vera agnoscat. Et quum vulgares illæ  
 opiniones non officerent pietati, non id sibi operæ datum esse existi-  
 marunt, ut Iudæos ab isthoc errore auocarent.* † Quibus HERM.  
 WITSI-

† Nuper etiam anonymus aliquis  
 in unschuldigen Nachrichten an. 1727.  
 p. 120. statuit Lucam c. II, 2. ex errore  
 vulgi (nach der gemeinen und einfälti-  
 gen Leute Bahn) scripsisse, qui Cyre-  
 niun cum pompa ex Syria aduentan-  
 tem proconsulem esse falso putave-  
 rint, Saturninum vero, ordinariū  
 illo tempore proconsulem, forte  
 nunquam viderint: quo in errore  
 Lucas, licet rectius informatus, po-

pulum iudaicum reliquerit, quo fa-  
 cilius euangelicæ ipsius historię fi-  
 dem adhiberet: quam hypothēsīm  
 collectores isti sine vlla censura di-  
 mittunt; quamuis alio loco an. 1702.  
 p. 316. inter portenta exegetica (bibl.  
 G. eucl) quoque numerent opinio-  
 nem, qua Deus in scripturis loquens  
 secundum conceptus vulgi locutus es-  
 se statuitur.

WITSIVS, theologus alioqui placidissimus, in *miscell. sacr. som.* l. lib. I. c. XIV. p. 115. hanc formulam subiicit: *Male sit audaci illi & temerariae criticae, cui religio non est, suas coniecturas apostolorum, Christi que adeo ipsius, auctoritati antepone.*

§. 2. Nulla, credo, iniuria fiet ISAACO PEYRERIO, fabulae praeadamiticae conditori, si in eandem hanc classem cum aliis audacibus ingeniis detrudatur. Sequentia id nobis persuadent verba, quae *system. praeadam. part. I. lib. IV. c. I.* leguntur: *Opinio haec semper mihi sedit, quam inconcussa & firmiter teneo, bibliis sacris contineri, quidquid scire hominibus concessit Deus, vel de origine mundi, vel de historia sacra, vel de prophetiis, vel de mysteriis diuinis, vel de salute nostra. Quae ad salutem nostram vnice spectant, paucis constant, Et in illis tantum cura, tantum diligentiae, & tantum lucis adhibuit spiritus sanctus quantum captui humano conuenit. Pluribus mandata sunt, quae de aliis (ex gr. de historicis) tractant. Et de illis aperiam, quod omnes sentiunt, quodque plerique mussant dicere: tanta scilicet incuria, & caligine tanta, scripta fuisse, ut nihil plerumque intricatius, nihil obscurius legi possit. Ludos dicas fere omnes schematis enthei, quos nobiscum balbutiens Deus miris modis fecerit hominibus.*

§. 3. Sine ambagibus vero talia scommata in scripturam sacram coniecit BEN. SPINOZA, in *tractatu theologico-politico, e. c. cap. VI. p. 79.* In scripturis multa ut realia narrantur, quae etiam realia esse credebantur; quae tamen non nisi res imaginariae fuerunt. Scriptura narrat, quod Elias ad caelum igneo curru & igneis equis adscenderit, quae sane non nisi representationes fuerunt, adaptatae opinionibus eorum, qui eas nobis, ut iis representatae sunt, nempe ut res actuales tradiderunt. Et c. VII. p. 90. Rerum narrationes maxime adcommodatae fuerunt vniuscuiusque cui praedudiciis.

§. 4. Ad eandem hypothesein, tanquam consuetum desperatae causae asyllum, se etiam aliquoties recepit HERMANNVS VON DER HARDT in negotio Ionz, Quum enim videret  
ænigma-



ænigmaticis iuis expositionibus, quibus *Ionam* modo in Manas-  
sen, modo in Iosiam regem conuertit, piscemque, qui Ionam  
deglutiuit, modo in museum Samaritanum, modo in Lybonem,  
Syriæ oppidum, modo in regnum Assyriacum transformat;  
quum, inquam, videret, his portentosis explicationibus non  
fauere verba Saluatoris, quibus veritas historiæ Ionæ validissime  
confirmatur, Matth. XII, 40. c. XVI, 4. variis cauillis in *program-  
mate de rebus Ionæ* eludere vim argumenti conatur, dum dicit:  
*Christo & apostolis alia fuisse in animo, aliaque in verborum sco-  
po, quam verba ferebant: Iudæorum ori & desiderio eos indul-  
sisse; in aduehendis ex vet. test. rebus, sancta prudentia verbis, ut  
iacebant, & uti ceteri capiebant, vsos esse; quin ex traditionibus me-  
ris ex Iudæorum ore depromsisse historias in vet. test. non notatas,  
non sollicitos, quo sensu hæc pronuntiaissent auctores, Iudæorumue  
dætores; satis fuisse illis eiusmodi a Iudæis admitti; loquendo  
itaque cum gente sua reliquisse iuste peritis dispiciendi curam, aut  
gliter in his sentiendi.* Vide teu SIGISMVNDI BEERMANNI  
*euangelicæ rei integritatem Hardtianam in negotio Ionæ quatuor  
epistolis examinatum, p. 24.* Similiter in *ænigmatibus prisce or-  
bis p. 251.* hæc nota legitur: *Ad opinionem vulgatam accommoda-  
ta cuncta, ut Ionæ viuo congruerent, pro regni statu sub Ieroboamo;  
In symbolis vero Manassis insignita est custodia in vrbe Lybon, ad  
Orontem.* Vid. CL. IO. HENRICI A SEELEN *examen hypo-  
theseos exegeticæ de Iona ænigmatico, p. 15.*

\*\*\* Ita MATTHÆVS BEROALDVS, *chronol. lib. III. c. IV.*  
Paulo imputat, quod *Act. XIII, 20. receptam Iudæorum senten-  
tiam, vni erroneam, sequutus sit, in re, quæ non fidei est, sed nu-  
merationis; uti obseruat IO. GOTTLÖB CARPZOVIVS, in in-  
troduc. ad l. br. h. st. vet. test. p. 186.* vbi simul ostendit, nos ista hy-  
pothesi ad nodum illum soluendum, non indigere.

### §. VII.

Sunt etiam, qui virorum sacrorum *argumentationibus* at-  
que *ratiociniis* hanc labem adfricare volunt, ut ea passim vi-  
tus, imperito vulgo solemnibus, laborare, præconceptis-

D

que

que eius opinionibus respondere, satis pro imperio pronuntient. \*

\* §. 1. Sic auctor *Mosis vindicati*, qui aduersus Burnetium in arenam descendit, Amstelodami, MDCXCIV. nonnullas Pauli atque Petri argumentationes ferulæ suæ audacter subiicit. PAVLUM, inquit pag. 178 videmus secuturo ex proposita sibi obiectione incommodo illam solvere Rom. III, 6. Gal. II, 17. 18. quod per leges artis dialecticæ non licere, vel ipsis tironibus exploratum est. Quum ex eo, quod ad cælos Christus ascendisse dicitur, apostolus Eph. IV, 9. infert, illum prius debuisse eis καὶ ὅτε γὰρ μέγα τὸν ὕψος descendere, quis non (impudenti ore) exclamet, illud non sequi? Nonne enim & Enochus & Elias ad cælos euecti sunt? Nonne eo bonorum animæ, nonne angeli quotidie ascendunt: licet ad infimas terræ partes non devolvantur, neque vero unquam descenderint? Et quis non miretur; PETRUM posito adstruendoque antecedenti, deducendum ab eo consequens omittere? 2 Petr. II, 4-9. Indicare scilicet mentem suam sat habebant viri sancti, legibus ferendis magis, quam sequendis, intenzi, logicesque minus, quam fidei ac theologiæ principis, addicti. Equidem videtur auctor ille sibimet ipse contradicere, dum p. 184. exclamat; *Quis in orbe dialecticus apostolicarum rationationum vim exæquavit unquam, vel etiam attigit?* Interim non possumus non adicere, quæ ad populare ἀσολογιστὰς vitium a locis in discrimen adductis auertendum, auctores actorum erud. Lips. an. MDCXCV. p. 25. 131. fin. rectissime monuerunt. *Quis primo loco Rom. III. 6. propius inspecto, non animadvertit, longe aliud esse incommodo aliquo, ex obiectione secuturo, motam obiectionem solvere; & aliud incommodo isto datam solutionem confirmare. Non prius a diuo apostolo, sed posterius factum, idque logica non inuita, legimus. Negationem quippe, qua latens in obiectione vitium detexerat, ratione ab incommodo & impossibili petita, statim roborat, hoc sensu: Absit, ut hæc cogitatio iniustum Deum esse, pio homini in mentem unquam veniat? Quo enim pacto, iniustitia posita, iudicare is mundum possit? Nec aliud Gal. II, 17. 18. diuinus facit auctor, quam quod solutionem, diserta negatione peractam, simili ex architectura desumpto, illustret; quod logices opi-*  
nor,

nor, legibus nusquam facere prohibemur. Tertio autem loco, qui ex Eph. IV, 9. adducitur, non enunciatur uniuersale, sed singulare prorsus, ad Enochum, Eliam, sanctorum animas & angelos nullatenus extendendum, continetur. Mirum scilicet, ob itenditatem personæ, quam v. 10. 11. diuinus scriptor maxime urget, nemini debet videri, adscendisse Christum, donaque promissa distribuisse, quum idem e cælo antea descenderit. Aut cur non ipsius Christi effato, quod Ioh. III, 13. legitur: Nemo adscendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis, qui est in cælo; allatæ instantiæ, si locum inueniunt, & Paulinam labefactare sententiam vllomodo possunt, opponuntur? PETRVS denique citato loco non omisit consequens. sed ex antecedentibus, quin & consequentibus attento lectori subaudiendum reliquit, sensu admodum plano, perfecto & perspicuo: Si angelis peccantibus, si originali mundo, si Sodomæorum & Gomorrhæorum ciuitatibus non pepercit Deus: quanto minus euangelicæ doctrinæ corruptoribus parcendum statuatur? immo & hi in corruptione sua certo certius peribunt. suæque iniustitiæ mercedem a iustissimo iudice accipient, v. 12. 13. Aut edisserat nobis anonymus, quoniam in loco enthymematice concludere oratori vnquam prohibuerit dialectica? conf. etiam instit. nostras hermen. 453 seq.

§. 2. Crassissime in ea hæresi versatur BEN. SPINOZA in tract. theol. pol. c. II, p. 29. Nec aliter de Christi rationibus, quibus Phariseos contumaciæ & ignorantie conuincit, discipulosque ad veram vitam hortatur, statuendum, quod nempe suas rationes opinionibus atque principiis vnus cuiusque adcommo-  
 Idem de rationibus apostolorum absolute dicendum. Cap. XI, p. 139. Ad hunc modum omnia argumenta Mosis, quæ in quinque libris reperiuntur, intelligenda sunt, quod scilicet non ex scriniis rationis desumpta sint, sed tantum dicendi modi, vel. fec. p. 138. in rales locutiones, quibus rhetorice, & prout rem viuidius imaginari poterat, exprimit. Sic quum Paulus ludæos præcellere inde

probat, quod ipsis concredita sint eloquia Dei Rom. III, 1. 2. *Dicendum est*, inquit SPINOZA p. 40. *Paulum ex captu & secundum opiniones Iudæorum, tum temporis receptas, respondere.*

§. 3. In eodem luto RICHARDVS SIMONIUM hæsisse deprehendimus. Is in *historia crit. vet. test. lib. I. c. XVII. p. 98. ed. lat. MDC LXXXI.* Quamvis Iesus exprobrat Pharisæis, ipsos verbo Dei maiorum traditiones antepone, non omnes tamen in uniuersum reiecit ipse, immo ipsorum methodum in explicandis scripturis sequutus est. Siquidem apostolorum argumentatione expendas, manifestissime adparebit, nihil aliud plane attendisse, quam sensum literæ, nullo modo vero auctoris quandam grammaticam, & testimonia scripturæ interpretationibus, traditionis auctoritate & vetustate nixis, accommodarunt: quæ etiam eorum argumenta nil nisi allusiones & allegoriæ sunt: quæ in parte minime sunt damnandi, quum probatam præcipuis huius ætatis doctoribus methodum sequerentur. Ita Simonius, ut suam illam Dianam, traditiones ecclesiæ, magis commendaret, Christum ipsum eiusque apostolos earum auctoritati se mancipasse, lectoribus suis persuadere conatur.

§. 4. Similiter IO. CLERICVS in *biblioth. sel. tom. XIII. part. II. art. IV.* putat fieri posse, ut apostoli ex mystico scripturæ sensu disputantes se ad ingenium Iudæorum sui temporis accommodarint. Quum enim isti sensum illum agnoscerent & argumenta, ex eo producta, quamvis parum apodictica, non solerent spernere; apostolos id sibi licere existimasse, ut illos armis sui ingenii expugnarent. Similia ille adnotauit in comment. suo ad Deut. XVIII, 15. 18. & ad HENR. HAMMONDI *nou. test. ad Gal. IV, 21-24. & Heb. VII, 4.*

### §. VIII.

Neque vero intra hosce limites subsistit critica illa temeritas; sed ulterius progressa, in illis etiam rebus, quæ ad fidem & mores spectant, plurima sibi detexisse visa est, ad populares imagines conceptumque imperitæ plebis accommodata.

\* §. I

\* §. 1. Pertinent huc præ ceteris *atheis*, & profæli scripturæ sacræ contemtores, quorum mentem ita expressit reu. SIGISMUNDVS BEERMANNVS, in *impietate atheistica scopico-sceptica*, lib. II. c. IX. p. 284. *Christi discipulos præceptoris mentem non recte percepisse. Quæ figurate intellexerit magister, proprie & secundum literam interpretatos fuisse: quæ ad captum vulgi docuisset, illa simpliciter vera ex præiudicio infantie credidisse.*

§. 2. Caput inter hos quam maxime effert BENED. SPINOZA, gente iudæus, tandemque ex philosopho atheus, immo atheorum nostra ætate princeps & coryphæus, qui quid de sacris literis sentiret, in tractatu suo *theologico politico de libertate philosophandi*, satis superque testatum fecit; quippe qui totus eo comparatus est, vt auctoritatem diuinam scripturæ sacræ prosternat, pedibusque conculcet, iudice ven. IO. FR. BVDDEO, in *thesibus de atheismo & superstitione*, c. III. §. VII. p. 303. De optimo nostro Seruatore eiusque apostolis, quam impie, quamque blasphemè p. 29. scelestus homo pronuntiet, *quod suas rationes opinionibus & principiis vniuscuiusque adcommodaerint*, ad §. antecedentem iam obseruauimus. Nimirum vti hic impostor in tract. *de emendatione intellectus*, opp. posth. p. 361. inter regulas bene viuendi hanc etiam ponit: *Ad captum vulgi loqui, & illa omnia operari, quæ nihil impedimenti adferunt, quo minus nostrum scopum attingamus*: ita idem a Christo etiam obseruatum fuisse delirat. Totam scripturam ad huius regulæ normam compositam esse iudicat in tract. *theol. pol.* c. XIV. p. 159. *Ad veram fidei cognitionem adprime necessarium esse, scire, quod scriptura adcommodata sit, non tantum captui prophetarum, sed etiam varii & inconstantis Iudæorum vulgi, nemo, qui vel leuiter attendit, ignorare potest.* Cap. XV. p. 166. *Ostendimus scripturam solam pietatem docere, & OMNIA, quæ in eadem continentur, ad captum & præconceptas opiniones vulgi fuisse adcommodata.* Pag. 164. *fidem secundum captum & opiniones prophetarum & vulgi illius temporis reuelatam scripturamque fuisse cauillatur.* Neque latere nos voluit impii dogmatis non minus impium,

pium, quod animo conceperat, fundamentum, dum p. 162. *Fides*, inquit, *non tam requirit vera, quam pia dogmata, hoc est, quae animam ad obedientiam mouent.* Tamen si inter ea plurima sint, quae nec umbram veritatis habeant, dummodo is, qui ea amplectitur, falsa esse ignoret; alias rebellis necessario esset. Hinc ad ipsa etiam virorum sacrorum praedicia Deum suas de rebus fidei reuelationes attemperasse fingit. Ita quum p. 24. 25. Mosis, viro sapientissimo, multas ineptas & pueriles de Deo opiniones tribuisset, p. 25. subiicit: *Si iam ad Mosis reuelationes attendamus, eas hisce opinionibus adcommoatas fuisse reperiemus.* Inde factum putat p. 21. quod prophetiae siue representationes pro opinionibus prophetarum, quas amplexi fuerint, variarint, & quod prophetae contrarias habuerint opiniones, & varia in rebus credendis praedicia. Duo addimus ex eius epistolis eiusdem farinae loca. In operibus posthumis epist. XXV. p. 458. *Neque hic, inquit, necesse esse puto monere, quod scriptura, quando ait Deum in peccatores irasci; eumque iudicem esse, qui de hominum actionibus cognoscit, statuit & iudicat, more humano & secundum receptas vulgi opiniones loquatur, quia ipsius intentum non est philosophiam docere, nec homines doctos, sed obtemperantes reddere.* Et epist. XXXII. p. 480. responsurus ad quaestiones, quare scriptura dicat, Deum flagitare, ut se improbi conuertant, & quare Adamo prohibuerit ex arbore non edere, quum tamen contrarium conclusisset, ait: *Dico, scripturam, quia plebi praecipue conuenit & inseruis, continuo humano more loqui.*

§. 3. SPINOZAE IUGIMUS FRIDERICVM LEENHOFI-  
VM, ministrum ecclesiae reformatae Swollensis, SPINOZAE EX  
parte discipulum, & caeli in terris nouum architectum: cuius  
historiam ex documentis authenticis exposuit CL GOTTLOB  
FRIDERICVS IENICHEN, in historia Spinozismi Leenhofia-  
ni; in qua p. 96. inter alia docuisse perhibetur, Deum non nisi  
sensu improprio, ut regem, ut legislatorem, ut dominum & iu-  
dicem, a prophetis & apostolis in sacro codice describi: quia au-  
ctor scripturae ad vulgi captum sese accommodauerit, qui sibi  
Deum non aliter, quam ut regem, throno suo insidentem, ut legis-  
lato-

latores, homini vitæ suæ normam iuxta leges præscribentem, ut iudicem, unicuique secundum opera sua remunerantem, possit concipere. Vide ex gr. den Himmel auf Erden c. I. p. 7. 8. vers. germ. Amstelod. MDCCVI. Hinc etiam inter articulos illos, ut vocabantur, satisfactorios, quos senatus ecclesiasticus Zwollensis Leenhofio subscribendos offerebat, is erat: *Detestor & reiiicio hanc thesin, quod scriptura maximam partem in imaginationibus consistat, & perpauca aliquas veritates, quæ parum sensum habeant, contineat: quod homines plurimos pro phantasia sua perblande inclinet, & ad salutem ducat, sicque ad captum rudis & ignari vulgi se in totum adcommodeat: quod quilibet scriptorum sacrorum pro mentis suæ opinionibus scripserit & pro vana hominum temporis sui imaginatione, absque multa rationum verarum cognitione.* vide IENICHII historiam p. 141.

§. 4. Eidem hypothese BALTHASAR BECKERVS, in mundo fascinato, plurimorum scripturæ dictorum, quibus de angelorum operationibus agitur, detorsiones superstruxit. Unde ven. WEISMANNVS, in hist. eccl. nou. test. tom. II. pag. 954. Summa, inquit, Beckerianæ sapientiæ hæc est: Spiritum sanctum in his loqui cum vulgo, & humano more Deum ut regem describere, cui vii palatium, thronum, sceptrum, coronam; sic & angelos, tamquam ministros aulicos, legatos, exercitus, tribuat. Christianos Act. XII, 15. loqui ex pristino errore iudaico; forte etiam ad eundem adcommo- dari sermonem a Christo Matth. XVIII, 10. Similiter FRID. SPANHEMIVS, in adpendice elenchi controuersiarum, p. m. 792. Ex BECKERI mente scriptura de operationibus spirituum (tum naturalibus tum moralibus) loquitur, non ut reuera sunt, licet in narratione historica, simplici, toties repetita; sed prout eæ res a nobis concipiuntur, populari modo, κατὰ τὸν ἔγωγόν, & ex inueterata opinione gentilium & iudeorum. Vide die bezaub. Welt lib. II. c. X. §. XVI. c. XVI. §. VII. vbi dicitur: Es ist gewiß, daß Christus manchmal der Juden Meinungen, sie seyn wahr oder nicht wahr, zum Grunde seiner Reden nimt.

§. 5. Socinianis etiam isthæc sententia vehementer adridet. Idem.

Idoneum enim illis videtur *ἐυφημία*, ad vim dictorum, quæ ipso-  
rum erroribus ruinam minantur, infringendam. Dudum id  
obseruauit B. IO. GERHARDVS, *disputationum theol. part. I. disp. X. p. 209. Iniurii sunt in verbum Dei, dum statuunt, Christum  
& apostolos sese hominum opinionibus adcommo-  
dasse.* In cate-  
chismo suo *Racouensi*, eodem GERHARDO teste, sic loquun-  
tur: *Animaduertendum est, Christum & apostolos coactos quo-  
dammodo fuisse, hominum opinionibus, quæ tunc plerumque vige-  
bant, se adcommo-  
dare.* Addimus FAVSTI SOCINI effatum,  
*operum tom. II. p. 589. Figurata & ad vulgi captum adcommo-  
data significatione Christus verbum Dei adpellatur; ut in plerisque  
aliis contingit.* Diuersa ab his est adcommo-  
datio exegetica,  
quam Sociniani statuunt, putantes scriptores N. T. multa effa-  
ta V. T. de ipso DEO dicta, ad Christum, Dei legatum, ad-  
commo-  
dasse; quam hypothesin profligauit THEODORICVS  
HACKSPANIVS, in *diff. Photiniani opposita, de adcommo-  
datione, quæ exstat in eius sylloge dissertationum p. 417. Adde in-  
stitut. nostras hermen. p. 70. 156. 789. 801.*

§. 6. Ex theologis Cartesianis CHRISTOPHORVS WIT-  
TICHIVS hic nominandus est, qui in *consensu veritatis in scri-  
ptura reuelatæ cum veritate philosophica c. XXVI. p. 458. ait: Si  
cum auctoritate & veritate scripturæ non pugnant locutiones de  
rebus moralibus & practicis in scriptura sepe frequentatæ, qui-  
bus veritas aliqua relata ad externam adparentiam, & opinio-  
ne erronea inuoluta, significatur: Ergo pari ratione non repu-  
gnat eiusdem auctoritati & veritati, si circa res naturales viatur  
phrasibus receptis veritatem ad hominum sensus relata, & præ-  
iudiciis inuolutam referentibus.* Quod argumentum pluribus  
executit IO. BRUNSMANNVS, in *gratia naturæ interprete, lib.  
III. c. XVI. p. 164. seqq.*

§. 7. In hunc lapidem THOMAM quoque BURNETIVM  
impegisse *acta erud. Lips. an. MDCXCIII. obseruarunt, vbi ex  
eius archæol. philos. lib. II. c. IX. hæc referunt: Hoc declarat auctor  
exemplo Christi & apostolorum, qui de vita futura, de cælo & in-  
ferno, ut de supremo iudicio, non accurare, sed secundum imagi-  
nes*

nes



nes populares locuti sint, adumbrantes cælum deliciis paradisi & coronis gloriae, † infernum vero igni inextinguibili, frigore & tenebris extremis: tandem diem iudicii per clangorem tubæ, reserata sepulchra, libros rationum expositos, & erecta tribunalia.

§. 8. Præiuerat iam THOMAS BROWNE, medicus Norwicensis, auctor libri, qui *religio medici* inscribitur. Is lib. I. c. XLIV. p. 253. ed. Argent. MDCLII. negat, ultimo die processum iudiciale[m] ita esse futurum, uti quidem scriptura refert, Reos, inquit, die nouissimo coram tribunali sistendos esse, aut eum fore in iudicio processum, quem sacra pagina innuere videatur, & qui ad literam commentantur existimant, nequaquam credo. Ineffabilia enim huiusmodi mysteria modo vulgari & exegetico in scripturis traduntur, quumque hominibus scribantur, non quemadmodum reuera se habent, sed quemadmodum intelligi possunt, exponi solent.

§. 9. Sunt & alii, qui in eosdem scopulos inciderunt, prauarum hypothesium amore ducti. Sic CL. BULFINGERVS in dilucidationibus philosophicis de Deo, anima & mundo, p. 372. seq. in gratiam harmoniæ suæ præstabilite, locutiones scripturæ, quæ commercium animæ & corporis supponunt, ut: *fides est ex auditu, mortale corpus grauat spiritum*, cet. eodem modo explicandas esse putat, quo Copernicani dicta scripturæ de motu solis explicare solent. Equidem callide abstinet v. CL. a phraseologia, hæc dicta esse *ex opinione vulgi*; sed rem ipsam tamen sub variarum obseruationum, quibus lectorem obruit, mole insinuat. Scripturam, ait, loqui nobiscum per condescensum. Deum sæpe loqui ut cum hominibus non artificialiter metaphysicis, & quæ alia sunt effugia. Similiter MELODIUS in Einfluß der göttlichen Wahrheiten in den Willen p. 69. ad verba apostoli 2 Tim. I, 12. Scio, in quem credam, hæc adnotat: *Locutus est apostolus cum vulgo*. Idem p. 95. monet de illis locutionibus

† *Mabomed* quidem descriptionem paradisi, & generatim integram suæ religionis faciem, adcom-

modauit genio Arabum; sed absit, ut id de sacris scriptoribus adfirmemus.

bus scripturæ, quibus hominibus irrogenitis *odium boni & amor mali* tribuitur, & addit: Ob ich wohl weiß, daß einige hier den Spieß zu weit werfen, und den Canonem: Scriptura se adcommodat ad captum vulgi zu weit ausdehnen, auch einige gleich hinter denen her seyn, die zu diesem Canone ihre Zuflucht nehmen; iedennoch wer nur ein wenig Verstand hat, wird doch die Sache selbst nicht leugnen, sondern gestehen müssen, daß es mit diesem Canone seine Richtigkeit habe.

§. 10. Hæc in memoriam nobis reuocant, quæ im Berli-  
nischen Heb. Opfer tom. I. p. 152. de monacho aliquo Turcico  
(quem *Derûis* vocare solent) narrata legimus. Huic, *impiorum*  
*resurrectionem neganti*, quum codicis sacri ipsiusque *Corani* con-  
traria loca obiicerentur, promte respondit, *prophetas ita esse lo-*  
*cutos, ut se ideis & conceptibus vulgi adcommodarent.* Quibus ver-  
bis merito hæc nota loc. cit. subiicitur: *Diese Musrede ist ca-*  
*pable, eines ieden Phantasten Einfälle zu rechtfertigen.*

### §. IX.

Addimus denique eos, qui de origine *locutionum illa-*  
*rum anthropopathicarum*, quibus scriptura Deo incorpo-  
reo \* membra humana tribuit, quædam non satis provide  
commenti sunt.

\* §. I. CHRISTOPH. WITTICHIVS, in *consensu veritatis*  
locutiones illas mox ex erronea hominum opinione ortas esse  
putat §. 648. adeoque scripturam in illis se erroneo nostro con-  
ceptui adcommodasse adfirmat §. 645. mox illas formulas præ-  
iudiciis infantia & sensuum inniti, veritatemque errore inuo-  
lutam continere dicit, §. 632. vbi ait: pag. 509. *Si scriptura lo-*  
*quens de Deo multas adhibet phrasas, quæ innituntur præiudiciis*  
*infantia & sensuum, atque veritatem relatam ad homines & præ-*  
*iudiciis inuolutam, referentes, citra lesionem auctoritatis & ve-*  
*ritatis suæ: Ergo multo minus eius auctoritati & veritati repugna-*  
*bit, si idem faciat circa res naturales. Sed verum est prius. Er-*  
*go & posterius. Ad minorem probandam inseruient nobis lo-*  
*cutiones, quas theologî vocare solent anthropopathicas, cet.*  
Longe

Longe deterius de illarum locutionum origine sentit I. O. CLERICVS, qui eas ethnicismo Phoenicum eorumque πολυθεότης acceptas refert. Sic enim in *prolegom. ad pentat. diss. I. §. V. p. 7.* *Lingua ebraica, quæ apud Chananæos, πολυθεότης opinione inquinatos, floruit, † eorum errorum vestigia seruauit plurima, etiam postquam Ebræorum contraria sentientium vernacula facta est. - - Hinc in libris sacris ἀνθεωποπαθείας exempla sæpe occurrunt.* Et in ipso *comment. Gen. XI, 5.* *Perpetua fere ebraicæ lingue eiusmodi ἀνθεωποπαθείας utendi consuetudo, ethnicam prodit originem.* Verum uti WITTICHI ea de re sententiam I. O. BRUNSMANNVS, in *gratia naturæ interprete lib. III. c. XV. p. 142.* confutauit; ita I. O. CLERICI opinionem examini subiecit I. O. NICOLAUS QVISTORPIVS in *diss. an ἀνθεωποπαθείας sint vestigia gentilismi?*

§. 2. Crassissime hic rursus impingit BEN. SPINOZA in *tract. theol. polit. c. VI. p. 79.* *Omnes, qui aliquantulum supra vulgus sapiunt, sciunt, Deum non habere dextram neque sinistram, neque moueri, neque quiescere, neque in loco, sed absolute infinitum esse. At vulgus Deum corporeum, & imperium regium tenentem imaginatur. Et his atque similibus opinionibus plurimi Scripturæ casus adaptati sunt. Et cap. XIII. p. 157.* *Minime mirum, quod sacra volumina ubique adeo improprie de Deo loquantur, eique manus, pedes, oculos, aures, mentem & motum localem tribuant, & præterea etiam animi commotiones, ut quod sit zelotypus, misericors &c. (sic vera falsis impostor miscet) & quod denique ipsum depingant tamquam IUDICEM, & in cælis tamquam in solio regio sedentem, & Christum ad ipsius dextram. Loquuntur nimirum secundum captum vulgi, quem scriptura non doctum, sed obedientem reddere studet.*

§. X.

Atque hi fere sunt, qui scripturas diuinas ad indoctæ  
E 2 plebis

† Hanc opinionem, linguam Hebræam fuisse Cananæis gentilibus vernaculam, ante Israeliticam terræ

occupationem, post alios etiam refutat ven. Io. Gottlob Carpzovius, in *crit. sacra p. 173. seq.*

plebis opiniones adque captum ingeniorum vulgarium, & nullis doctrinis excultorum, conformatas fuisse censent. Alii, plus ultra progressi, multas haud ignobiles sacrarum literarum partes ad captum *vulgi stupidissimi, brutisque simillimi*, qualiter describunt Israelitarum ex Aegypto egressorum colluuiem, adcommodatas iudicant.\*

§. 1. Referendi sunt in hanc classem I. *Athei atque Deistæ*, de quibus ven. SAL. DEYLINGIUS, in oratione de ingenio Israelitarum Aegyptiacorum, quæ obseru. sacrarum parti primæ subiecta est, p. 342. *Athei*, inquit, *Israelitas Aegyptiacos rudes, omni elegantioris doctrinæ intelligentia, ingenioque ad res sublimiores cognoscendas, omni item humanitate ac pietate vacuos, ac tantum non brutos fuisse, vociferantur. Quem incredibilem generis stuporem vel ipsius Mosis ingenio confirmari posse credunt, qui adeo inepte (venia sit verbo) adspectabilis huius mundi exordium, originumque incrementa atque progressus descripserit, ut facile intelligatur, eum historiae naturalis valde imperitum fuisse, quum rerum ab initio conditarum descriptio, vnde libros suos exorditur, a motus, naturæ, & totius philosophiæ regulis tantopere discrepare videatur.* Sufficiat nominasse BENED. SPINOZAM, qui in tract. theol. pol. cap. V. p. 61. de Israelitis scribit; *Rudis fere ingenii omnes erant, & misera seruitute confecti.* Et cap. II. p. 27. *Nec sane credendum est, quod homines superstitionibus Aegyptiorum adsueti, rudes & miserrima seruitute confecti, aliquid sani de Deo intellexerint, aut quod Moses eos aliquid docuerit, quam modum viuendi, non quidem tamquam philosophus, sed tamquam legislator. Eos itaque eodem modo docuit, ac parentes pueros, omni ratione carentes, solent.* Nihilominus p. 25. *Mosis reuelationes stupidorum illorum hominum de Deo opinionibus adcommodatas fuisse, scelestus homo pronuntiat.*

§. 2. Pertinent huc II. *Theoristæ*, qui nouas telluris creatæ theorias ex suo ingenio procuderunt, qui similiter incredibilem Iudæorum stuporem obstitisse fingunt, quo minus veram & philosophicam creationis historiam Moses dederit. Permut. de his ait ven. DEYLINGIUS loc. cit. p. 342. *ex hodiernis philo-*

loso-

philosophis, ut crimen à Sæwgiac Mofi obiectum, diluant tollantque, ac atheos proſtigate nequitie conuincant, contendunt, Moſen, virum ſapientiſſimum ſummis que ingenii viribus ornatum, nec rerum mathematicarum & naturalium imperitum, ſed ſatis idoneum fuiſſe, qui rerum initia exponeret, ac ſecundum geometriæ ac motus tegeſ accuratè delinearet. Obſtiſſe autem rude, ſtolidum ac tantum non brutum Iſraelitarum ingenium, quo minus ad philoſophiæ regulas, ſed rudi duntaxat Minerua, ac incondite ſatis, mundi hiſtoria conſcriberetur. Poſtquam deinceps expoſuit præcipua iſtorum hominum in hiſtoria conditi mundi offendicula, pergit p. 343. Hæc aliaque incommoda, quæ a religionis Moſaicæ ſcripturæque hoſtibus proferuntur, depelli diluique poſſe, multi ex hodiernis philoſophis, Angliſ præſertim, acutiſſimique ISAACI NEWTONI diſcipulis, quod merito mireris, deſperant, niſi ſtolidas Iſraelitarum mentes & torporem ingeniorum obuerſamus, ac Moſen ſeſe bruto rudique illorum captui adcommoſſe exiſtimemus. THOMAE BURNETII hanc mentem fuiſſe collectores aëtorum erud. Lipſ. ann. MDCXCIII. p. 299. ex eius archæol. philoſ. lib. II. c. X. hiſ verbis comprobant. Erat, inquit auctor, colluuiæ quædam hominum, cætuſ mancipiorum ex ergaſtulis Aegypti nudius tertiuſ eductorum, qui nullas artes, præter lateritiã, nullas literas, nullum animi cultum poſſidebant. Idem teſtatur auctor Moſis vindicati pag. 166. Obtendit BURNETIUS impolitum, rude, ſemibarbarum Iudæorum ingenium, utpote quibus longa ſeruituſ non ſolum mores & diſciplinã, ſed tantum non ipſã humanitatẽ exuerat. Hiſc Moſen ſtipitum illorum captui ſuã attemperãſſe hiſtoriam, adeo ut populari methodo, non ſecundum rei veritatẽ, quæcunquẽ refert de luce, de aquis expanſo ſuperioribus, de ſole, terra, luna, de paradifo, deque aliis non paucis, tradiderit. Eidẽ peruerſæ ſententiæ adſtipulatur, qui Burnetii veſtigia legit, GVIL. WHISTON, in noua theoria telluris p. 101. verſ. germ.

§. 3. Pertinent huc III. ii, qui in legibus Hebræorum ritualibus explicandis variis modis a veritatis tramite deſlectunt, eaſque ingenio Iſraelitarum, ad ethniciſmũ procliui, adcommoſatas putant. Duces ea in re ſe aliis præbuerunt viri eruditionis laude non

defraudandi, IO. MARSHAMVS, eques Anglus, in *canone chronico Aegyptiaco, Hebraico & Graeco*, qui Londini MDCLXXII. lucem adspexit; & IO. SPENCERVS, theologus Anglus, in doctissimo opere *de legibus ritualibus Hebraeorum*, quod Cantabrigiae MDCLXXXV. prodiit; † cui dissertatione de *Vrim & Thummim*, anno eiusdem seculi LXIX. edita, auctor praeluserat. Hic scilicet contendit, leges Iudaeorum rituales antiquissimarum gentium moribus, atque in primis Aegyptiorum institutis, originem debere, tantumque abesse, vt Deus cultum, hisce ritibus circumscriptum, Israelitis praeeperit, vt illum potius tantum tolerauerit, donec stupida gens ad aetatem, sanctioris religionis capacem, adolereret. Quum enim Israelitae, in Aegypto nati, Dei rerumque sacrarum notitiam pæne omnem amiserint, vix ultra lateres & alium Aegypti sapientes, Deum in illis ad patrum pietatem reuocandis hanc iniisse rationem, vt idolorum cultum sub poena capitis iis interdiceret, & ritus omnes, moribus honestis inimicos, a cultus sui corpore tamquam putrida membra resecaret; alios autem non paucos, longa gentium consuetudine receptos, quos ineptias norat tolerabiles, aut ad mysterium aliquod adumbrandum aptos, in sacrorum numerum adoptaret, vt hoc modo rudem populum, agentium moribus nulla machina dimouendum, per hanc *συντατάσασιν* sensim ac suauiter ab idololatria auocaret. Ex SPENCER I igitur mente Deus in ritibus sacris praescribendis, totaque religione Iudaica formanda, quam maxime in consilium adhibuit ingenium populi Israelitici ex Aegypto egressi; in cuius stupiditate, quam longa seruitute contraxerint, exaggeranda vix verba idonea vir doctus inuenire potuit. Statim sub initium operis *de leg. ritual. Ebr. lib. I. c. I. sect. I. p. 2.* edit. Hagæ Comitum MDCLXXXVI. *Israelitae, inquit, non tantum Aegyptiis usu longo iungebantur, sed duram & diuturnam in Aegypto seruebant seruitutem. Alii lateres coquere, quidam stipulas undique corrasas conuectare, pars lutum asportare, postremo omnes seruilibus seruitiis intenti vitam agere. Nec quies vlla tam misere*

† Noua eius atque auctior editio prodiit Cantabrigiae anno MDCCXXVII. fol. curante Leonb. Chappelow.

seræ seruituti data est. Semper enim instabant operum exactores, in cessantium terga pugnis fustibusque sæuientes. Tam seruilis autem & infelix viuendi conditio hominum animos angustos reddere solet, rerum caelestium cura vacuos, & in dominorum suorum mores & ingenia pronos. Sed si conditionibus æquioribus viuere in Aegypto licuisset Israelitis, fieri tamen vix potuit, quin barbaris Aegyptiorum moribus adsueti, mores & ipsi barbaros haurirent, & ab Aegyptiis tandem nomine solo discreparent. Et c. VIII. sect. II. p. 139. Populus Israeliticus Aegypti stipulis & lateribus innutritus, non tantum a religione, sed & humanitate pæne descuerat. Hinc etiam factum putat, quod Deus genti, quæ omnes ingenii vires decoxerat, non nisi terrestria bona, tanquam legum obseruatarum præmia, proposuerit. Lib. I. c. III. p. 12. Promissa solummodo terrestria ad populi illius rudis, & caelestium inanis, ingenium gustumque fuerunt adcommodata. Populum illum e longa cum Aegyptiis consuetudine in ventrem tantum pronum & abiectum fuisse, nec quidemquam supra capere & allium Aegypti vere sapuisse, res per se credibilis est. Deus igitur carnalem populum promissorum carnalium illeclamentis sibi & legibus suis conciliare studuit. Quum enim populus ille ad altioris vitæ sensum prorsus obsurduisset, si Deus gloriam & vitam æternam præmii loco proposuisset, margaritam illam pedibus procul dubio, porcorum ritu, conculcasset. Et pag. 14. Quum igitur tunc religio, ritus tantum carnales pro materia, & bona solummodo carnalia pro scopo habens, ubique gentium obtineret, & procul dubio e magno usu, qui Israelitis cum Aegyptiis intercessit, intimis eorum animis infingeretur: consentaneum erat, vt Deus legem, ritus tantum carnales continentem, & bona solummodo carnalia pollicentem, traderet, VT INSTITUTA SVA AD SECVLI GENIVM POPVLIQVE MODVLVM ET VSVM ADCOMMODARET. Rationes institutæ inter Ebræos theocratiae redditurus, ad eandem adcommotationem sese recipit, in *diss. de theocratia Iud. lib. I. c. III. p. 186.* Seculi moribus ita factum erat, vt dii principatum quendam

intere

inter seruos suos obtinerent, & nomine ritūque regio colerentur. - - Nihil igitur absurdi præ se fert, Deum ideo regis nomine se colendum exhibuisse, VT SE IPSVM SECVLI MORIBVS, qua licuit, AD COMMODARET, & non minus populo suo, quam dii gentium seruis suis, adesse, præesse, & prospicere crederetur.

§. 4. In eandem illam profanam sententiam, duce Spencero, ingressus est IO. CLERICVS. Ita in comm. ad Exod. XXV, 10. ubi de arca fœderis, luculentissimo illo Christi emblemate, sermo est, hæc adnotat: *Aegyptii solebant res sanctissimas in sacris suis cistis abscondere, eosque imitati sunt alii idololatræ. Nunc quæritur, utrum Hebræorum simia fuerint Aegyptii hoc in negotio; an vero Deus sese Israelitis, ei rei iam in Aegypto adsuetis, accommodarit? Posterius credidit MAIMONIDES & CHRYSOSTOMVS. Prius multi maluere (inter quos etiam est eruditissimus HERM. WITSIVS in Aegyptiacis) nulla alia de causa, quam quia amplum & magnificum videbatur populo Hebræo neminem imitari, exemplo esse aliis. Sed profecto, ut hoc solum attingam, nisi Deus σὺν ταῖς βασιεῖς singulari legem aptasset indoli Hebræorum, hoc est opinionibus & consuetudinibus dudum receptis, non aliam tulisset, quam quæ postea a Christo lata est. Verum quum in plurimis descenderit ad abiectos & humiles Israelitarum animos, in hac quoque receptis ritibus eos uti passus est, ut in ceteris omnibus, in quibus nulla naturalis honestas, nihil spirituali numine dignum, nihil mortalibus per se utile deprehenditur. Hausit illa vir doctus ex IO. SPENCERI opere de legibus ritual. Ebr. lib. III. diss. V. de origine arcae & cheruborum. Eadem repetit ad Leu. XIV, 4. Deus hac in re, ut in ritualibus omnibus, crasso populi Ebræi ingenio, his (ritibus Aegyptiacis) dudum adsueto, se adtemperauit.*

### §. XI.

Restabat, ut aliquis prodiret, qui istam hypothesein ad supremum audaciæ fastigium propelleret. Quod negotium sibi relictum esse credidit BALTHASAR BECKERVS, qui sapientissimum humani generis seruatorem nonnunquam ad stultas vulgi male sani & furiosi ideas sermones suos accommodasse calumniatur.\*

\* Præ-



\* Præiuerat ea in re Beckero, DAILLONIVS aliquis, minister ecclesiæ Castro-Eraldensis, cuius sententiam BECKERVS perpo-  
 liuit in *mundo fascinato, lib. II. c. XXIX. §. 4. seqq.* Dæmoniacum  
 scilicet illum Matth. VIII, 28. sqq. Luc. VIII, 26. sqq. habet pro ho-  
 mine furioso, qui sibi persuaferit, se a multis dæmonum millibus  
 agitari. §. VIII. Also, inquit, mag dieser Badarener, welcher  
 mit etlichen tausend *Dæmons* besessen zu seyn glaubte, sich ein-  
 bilden, daß dieselben durch ihn redeten. §. XI. Daher er gleich-  
 sam in dem Namen vieler *Dæmons* bat, nicht in den Abgrund  
 zu fahren. Iesum igitur suos, quos cum hoc homine miscuit,  
 sermones, ita confinxisse putat, ut se ægræ ipsius phantasiæ ludi-  
 briis attemperaret. §. VI. Daß Christus zu diesem Bergesener  
 sagte: Du unreiner Geist, fahre aus von diesem Menschen, das  
 redete er, als ein anderer auch wohl thut, jemand vors erste in  
 seiner Einbildung, daß ihm dis oder jenes innerlich quäle, et-  
 was zugebend, ihn darvon zu erlösen. Es war aber eben so  
 viel gesagt, als: böse Plage, verlaß diesen Mann. Et apertius  
 §. XVII. So Iesus, als er mit dem schlechten Volck, das den-  
 noch bey Sinnen war, redete, sich fügte nach der Sprache, die  
 sie verstanden; was ist es Wunder, so dieser weise Meister mit  
 einem solchen, der ganz außser Sinnen war, nicht redete, wie  
 man mit verständigen Menschen thut. Es würde thöricht ge-  
 than seyn, mit Thoren weislich reden wollen. So lange als die-  
 ser Mann in solcher Unsinnigkeit war, daß er meynte, es wären  
*Dæmons* in ihn gefahren, so glaubte er, daß er reden müste,  
 als er dachte, daß sie reden würden. Und Christus, der sich  
 allhier nach dieser Schwachheit *adcommodirte*, gleichwie alle  
 weise Leute in solchem Fall thun, der redet so, wie es dieser  
 Mann verstehet. Desgleichen *Mattheus*, der uns diese Ge-  
 schicht erzehlet, stellet uns dieselbe treulich vor Augen, wie sie  
 äußerlich geschehen ist. Quo illepido commento an aliquid in  
 Christum dici iniuriosius possit, valde dubitamus.

§. XII.

Hactenus præcipuos, qui sacras literas ad vulgi ca-  
 ptum *adcommodatas* statuunt, auctores recensuimus, pro-

F

priis

priis ipsorum verbis bona fide recitatis. Fatemur, non omnes eodem esse loco habendos. \* Aliorum enim & animus innocentior est, & verba ad commodam explicationem admittendam aptiora. Alii venenum animo premunt, hocque gladio sacrae scripturae iugulum petunt. Sed haec clarius patefcent, si de formem hypothesein curatori examini subiiciemus: quod vt rite & cum fructu fiat, patrem luminum imploramus.

\* Absit enim e. g. vt beatum HIERONYMUM, amplissimis de studio biblico meritis conspicuum, ob opinionem de fascino (supra §. III. recitatam) cum impio SPINOZA; aut placidissimum modestissimumque STURMIVM cum WHISTONO, viro effraenis ingenii, in eandem massam conicere velimus.

## SECTIO II. THEOLOGICA

QVA EXAMEN HYPOTHESEOS  
CONTINETVR.

## SYNOPSIS:

I. *Status controversiae* formatur, & quid concedi, quid non concedi possit, definitur, §. I.

II. *Reiciendam esse* hypothesein probatur.

1) *a priori, ex causis*, quibus originem debet;

2) *a posteriori, ex effectibus*:

malignis, quos illa producit, §. II.

III. *Singula hypotheseos genera* nervosa cum epicrisi perstringuntur, §. III.

IV. *Colores* praecipui, quibus ornatur, diluuntur, §. IV.

V. *Epilogus* subiicitur, §. V.

## §. I.

**S**ententiam nostram de hac hypothesei dicturi, ante omnia id nobis agendum esse intelligimus, vt statum controversiae recte formemus, quo pateat, quid concedamus libenter, \* quid salua scripturae auctoritate concedi non posse existimemus. \*\*

\* Con-

\* Concedimus nimirum

I. *Ad commodationem scripturæ, vel DEI in scriptura sacra loquentis, ad ingenii humani tenuitatem* quam συγκατάβασις diuinam rerum sacrarum interpretes vocare solent, quia Deus nobiscum loquens, quasi ad nos descendit, nostræque infirmitati sermonem suum attemperat. Promte hic subscribimus MATTHIAE FLACII verbi, in clauæ script. part. II. p. 346. *Incomprehensibilia sunt Dei opera & actiones, neque nos adsequi aliquid de iis possemus, nisi sacra scriptura iis vteretur de Deo formulis, quæ rebus humanis propinquæ sunt.* Itaque spiritui, sancto scripturarum auctori, placet, propter captus nostri imbecillitatem nostro more balbutire, & blandius humiliterque, quam tantæ maiestati conuenit, nobiscum per signa & verba agere. Add. SALOMONIS GLASSII philol. sacr. lib. V. tract. I. c. VII. init. p. 1530. Ex hoc fonte plerasque literarum sacrarum metaphoras copiosissimasque εὐθεωποπαθείας deriuandas esse credimus.

II. *Ad commodationem spiritus sancti ad ingenia & stilum instrumentorum suorum*, vnde diuersitas stili in scriptoribus sacris pendet: quæ tamen ad commodatio ita explicanda est, ne circuli θεοπνευσίας, qua conceptus rerum & verborum sanctis hominibus inter scribendum suggesti sunt, periculose turbentur. Conf. B. SPENERI consilia theol. lat. part. I. p. 46. seqq. & adde instit. nostras hermen. p. 127.

III. *Ad commodationem prophetarum, Christi atque apostolorum ad captum auditorum suorum.* Ita sapientissimus Seruator, cui Iehoua pater dederat לַשָּׁן לְמִוְרָא linguam doctorum, seu insigne prorsus & admirandum donum didacticum, Es. L, 4. in concionibus suis omnino rationem habuit indoctæ plebis, quæ eum gregatim comitabatur, quæque maiorem ex eius doctrinis utilitatem, quam fastu turgida doctorum caterua hauriebat Matth. XI, 25. Hinc parabolis & similibus, e medio petitis, & ab agricultura, piscatura, aliisque rebus vulgaribus desumptis, ad res spirituales illustrandas utebatur, vt a vulgo, his imaginibus adueto, facilius intelligeretur. Absit vero, vt cum SPINOZA statuamus; *Christum & apostolos rationes suas*

opinionibus & principiis uniuscuiusque adcommo-  
dasse. Maligna enim & detestanda calumnia hanc ad-  
cusationem laborare, quis non sentit ac palpat?

IV. Adcommo-  
dationem sine respectum ad externam quidem,  
sed veram tamen rerum adparentiam. Ita quum de sole dicitur  
Psal. XIX, 7. *Ab extremitate celorum exortus eius, & reuolutio  
eius ad extremitates illorum*, ad externam adparentiam respici  
putat C. L. IO. FRID. WUCHERER, in *historia creationis* p. 175. In  
ordine scilicet ad terram nostram sese sol omnino habet tanquam  
periodum absolvens ab una extremitate celi ad alteram, licet in  
loco uno eodemque hæreat. Nec est, ut excipias, ita scripturam  
ad errorem vulgi attemperari; quod a sanctitate diuina sit  
alienum. Ipsa enim veritas testatur, reuera ita adparere, quod  
sol moueatur ab una extremitate celi ad alteram. Nulla itaque  
deceptio, nulla fraus locum habere potest, quia reuera adparentia  
talis est. Neque locum habere debet adcommo-  
datio ad errorem vulgi, quia reuera sol ita se exhibet oculis, prout scriptura loqui-  
tur. †

V. Adcommo-  
dationem ad popularem vsuque receptam loquen-  
di formam; sine qua scriptores sacri neque a plurima legentium  
multitudine intelligi, neque censuram effugere potuissent. Iam-  
dudum enim ARISTOTELES inter vitia sermonis retulit τὴν  
κεκλιμένην παραβαλὴν λέξιν *vsitam negligere dictionem*. Minime  
vero scripturam loqui ad captum vulgi, si vitur iis phrasibus,  
quas nec prudentissimus euitare potest, pluribus probat C. L.  
BECKERVS, in *theoria motæ circa solem telluris*, p. 17.

Ne tamen, quæ hætenus concessimus, in contemptum scri-  
pturæ obtorto collo rapiantur, sequentia addenda putamus,  
ad decus sacrarum literarum factum tectumque conseruandum.  
I. Nullam aliam methodi illius adsignari rationem posse, quam  
homi-

† Huc pertinent & cautiones scri-  
pturæ optice intelligendæ, de quibus  
vide Io. Herm. Beckeri *theoriam  
motæ circa solem telluris* p. 35, 38.

& Gelehrbravdum von mehr als ei-  
ner bewohnten Welt p. 226. vbi  
de veritate loci optici pluribus  
disputatur.

hominum, quorum caussa scriptæ sacrae literæ fuerunt, imbecillitatem, & diuini spiritus erga illos commiserationem. Alio- qui enim abdita etiam naturæ arcana multis scriptoribus sacris, qui ita ad populi captum sese demittunt, satis paruiffe, † e mul- tis vestigiis colligi potest. II. Prophetas atque apostolos, li- cet in rebus naturalibus aliisque, quæ salutis negotium non at- tingunt, popularibus nonnunquam formulis suos conceptus vestiant, ab illis tamen locutionibus, sapientissimo consilio, abstinuiffe, quæ noxiõ cuidam errori occasionem præbere po- terant. Vnde SCHOMERVS in collegio nouissimarum controu. p. III. vbi concedit, scripturam nonnunquam vti phrasibus rem ex apparentia denominantibus, statim addit: *Semper tamen scriptura vtitur vocibus & phrasibus quoad sensum, quem ex re- cepto vsu hominum habent, veris, nec vniquam errores vulgi de quacumque re adprobat, aut rebus propositis suo nomine adspersit.* III. Auctores sacros aliis sæpe in locis sententiæ suæ declara- tionem tradere, qua iis, quæ per συγκατάβασιw alibi dixerunt, lux clarissima adfunditur. Qua obseruatione simul iugulatur eorum sententia, qui scripturam de rebus naturalibus *semper* & vbiq; ex opinione, aut externa rerum adparentia, loqui ad- firmant, adeoque sacrorum voluminum veritatem in grauissi- mum discrimen adducunt: quorum audaciam compescuit IO- BRVNSMANNVS, in *gratia naturæ interprete lib. I. c. V.* Vi- de has obseruationes vberius illustratas in *Mose vindicato, pag. 183. seqq.*

\*\* Id nimirum in quæstione est: An scriptura sacra in re- bus, quæ nec mysticæ sunt, nec propheticæ, vbi nullum figu- rarum, symbolorum, parabolarum & metaphorarum inuolu- crum adesse deprehenditur, in rebus denique, quæ humano conceptu attingi atque comprehendi possunt, eiusmodi vta- tur verbis, quæ rei veritatem non exprimunt, sed euertunt, &

F 3

eo

† Vnde Bernb. Niewentüt, in *exi- stentia Dei ex mirabilibus natura de- monstrata*, & Adv. & Cattenburch in *spicilegio ad theologiam Christia-*

*niam Limborchii*, obseruarunt, ea- etiam antiqua naturæ, quæ recentiori demum ætate detecta, putantur, in sacris literis iam reperiri.

eo modo proponunt, prout homo rudis atque plebeius eandem sibi falso concipit: adeo ut qui has phraseologias fuerit secutus, iisque suas conformauerit de rebus illis ideas, necessario vel ducatur in errorem, vel in eodem confirmetur, adeoque a veritate rei & naturæ abductus, mendacia pro veritate amplectatur? Id vero est, quod omni contentione negandum esse existimamus. Concedi enim sine insigni iniuria in sacrosanctum tum naturæ, tum scripturæ auctorem non potest, diuinum illum & omniscium spiritum, per homines cum hominibus loquentem, erroneis & ex parte absurdis, de rebus siue spirituales siue naturalibus, vulgi conceptibus suos conceptus ita attemperasse, ut illos tacite saltem adprobasse, atque hoc modo latam erroribus propagandis portam aperuisse videatur. Quum enim vulgus de operibus diuinis in gratiæ pariter ac naturæ regno falsissimas sæpe & deliramentis proximas foueat opiniones, quibus sapientia supremi Numinis vehementer obscuratur: necesse est, scriptores, sacro spiritu actos, falsissima passim & deliramentis proxima protulisse, si ad exemplum errantis vulgi ipsi quoque de operibus diuinis locuti sunt. Ita vero spiritus veritatis ipsos non duxit in omnem veritatem Ioh. XVI, 13. sed errantium gregi sese adiunxit, errando cum errantibus, & mentiendo cum mentientibus. Ita desinit verbum Dei esse veritas Ioh. XVII, 17. illisque elogiis, quibus Ps. XIX. & CXIX. ornatur, prorsus indignum redditur.

Merito igitur IO. BRUNSMANNVS, *loc. cit. lib. I. c. II.* lubricæ illi & periculosæ hypothese sequentes opposuit demonstrauitque propositiones: *I. Scriptura sacra nullum falsum aut vanum dicit adfirmatque. II. Scriptura sacra neque in magnis, neque in paruis; neque in iis, quæ ex instituto tractat, neque in iis, quæ breuiter obiterque tangit, aliquid falsi adfirmat.* Qui enim in paruis mendax deprehensus fuerit; quomodo in magnis & supra rationem positus fidem merebitur? *III. Quicquid scriptura dicit, est verum.* Nam si nullum falsum adfirmat, utique quicquid adfirmat, verum est. *IV. Quicquid scriptura de physicis rebus dicit, verum est.* Si enim omnia, quæ dicit, vera sunt, patet,  
nihil

nihil esse excipiendum. V. *Quidquid scriptura obiter de physicis dicit, est verum.* Nam quod obiter † dicendo adfirmat, etiam adfirmat. Quidquid vero adfirmat, verum existit. VI. *Illud omne dicit scriptura, quod eius verba proprie & simpliciter significant, nisi alibi se ipsa aliter declarauerit, adeoque aliunde constet, proprietatem in interpretandō retineri non posse;* quam propositionem aduersus WITTICHIVM cap. XXII. pluribus confirmat.

## §. II.

Eam igitur, quam oppugnamus, sententiam optimo iure ex hermeneutica sacrae territorio eiici atque proscribi, tum *a priori*, tum *a posteriori* facile comprobari potest. Siue enim *causas*\* inspectes, quibus suam originem debet; siue malignos, quos producit, *effectus*,\*\* consideres, digna est, quæ ad perpetuum exsilium condemnetur.

\* *Causas* meditati, quæ illius hypotheseos natales continent, sequentes primariis accensendæ videntur:

I. *Arrogantia humanæ rationis*, quæ philosophicis præsertim præfidiis armata, frænum reuelationis mordet, & Deo, eiusque testimonio, quauis data occasione refragatur; ex quo fonte etiam profuixit *Exercitatio illa paradoxa de philosophia scripturæ interprete*; qua humanæ rationis arbitrio verbum Dei mancipatur. Dudum id obseruauit IO. BRUNSMANNVS loc. cit. lib. I. c. IV. p. 29. *Vt humanus spiritus laudetur, ut homines non conuincantur errasse, ut mortales acuti agnoscantur ingenii, doctique habeantur ac sagaces, ut quicquid illis videatur placeatque, inconcussum maneat atque firmum; præcipuus huius dogmatis sunt & fundus & meta.* Idem in disputatione aduersus BURNETIVM animaduertit MELCH. LEIDECKERVS, in *archæol. sacr. diss. V.* p. 79.

## II. Præ-

† Unschuld. Nachr. 1728. . 81. Eine Sache obenhin sagen, ist entweder; sie in Vorbengehen sagen, da ich zwar nicht alles sage, aber doch die Wahrheit rede; oder es ist, eine Sache falsch sagen. Im ersten, nicht im letzten Verstande redet die Schrift von einigen Sachen obiter.

II. *Praeiudicia receptae hypotheseos, quæ multos impellunt, ut, quod cum suis opinionibus conciliare non possunt, vulgi erroribus adscribant. Rursus utimur IO. BRUNSMANNI verbis p. 29. Origo & causa reperti huius dogmatis est intuta. Illa enim philosophicæ & humanæ speculationes existunt, eæque non certæ & demonstratiuæ, sed coniecturales & incertæ. Quippe quum Copernicanis suum perquam placeret inuentum, solem in medio planetarum quiescere, neque hoc cum codice sacro possent in concordiam redigere, ad hanc demum processerunt temeritatem, ut dicerent, scripturam de natura rerum loqui ex opinione aut specie duntaxat; se autem ex veritate. Eadem de causa aliis placet, & quia speculationes suas, a ratione corrupta profectas, nolunt esse falsas. Ut hoc enim obtineant, necessario coguntur dicere, penes se veritatem esse, penes scripturas speciem. -- Philosophicas opiniones pluris, quam verbi testimonium faciunt: illis veritatis tribuunt nucleum; scripturis autem opinionis vanitatisque corticem & putamen: coniecturis humanis auscultant, ut magistris; literas autem sacras tacere iubens instar discipularum. cet. Adde HERM. WITSII miscell. sacr. tom. II. p. 948.*

III. *Licentia de rebus diuinis pariter & humanis, excusso reuelationis iugo, quidquid lubet, sentiendi. Hæc SPINOZAM, quo nemo hanc hypothesin longius extendit, ad audacissima de verbo Dei iudicia instigauit. In tract. theologico polit. c. XIV. p. 164. ait: Sicut olim fides secundum captum & opiniones prophetarum & vulgi illius temporis reuelata scriptaque fuit: sic etiam iam unusquisque tenetur eandem suis opinionibus adcommo- - - Philosophie scopus nihil est, præter veritatem, fidei autem nihil præter obedientiam & pietatem. Fides igitur summam unicuique libertatem ad philosophandum concedit, ut quidquid velit, de rebus quibuscunque sine scelere sentire possit. Et rursus c. II. p. 28. Concludimus itaque, nos prophetis nihil aliud teneri credere, præter id, quod finis & substantia est reuelationis; (ea scil. quæ ad bonos mores spectant) in reliquis, prout cuique libet, liberum est credere. Ab hac sentiendi licentia hanc hypo-*  
the-



thesin deriuandam esse, IO. BRUNSMANNVS etiam obseruauit, p. 30. *Est & alia peior sententia huius causa, ut liberum carni & corruptæ sit naturæ, circa humana diuinaque sentiendi, quidquid velit. Itaque libenter fert, humanis coniecturis tribui veritatem; diuinis autem literis opinionem. Nihil enim peruersiati humane dulcius, quam diuini timoris excutere iugum.* Addatur GOTTFRIED. SELIGMANNI diss. de sentiendi & credendi libertinismo, quæ exstat. in exercitat. eius academicis, p. 859. maxime §. XXXIV. p. 919.

IV. *Ignorantia linguarum sacræ scripturæ originalium; qua fit, ut multi, qui tantum ex versionibus sapiunt, verba scripturæ, quamuis ad veritatis normam adcuratissime expressa, vulgi opinionibus adcommodata esse clamitent.* Ita cum Christus ad Petrum ait Luc. V, 4. *duc in altum & proiice rete;* KEPLERVS & alii id ex vulgi errore dictum censent, qui, sensuum fallacia deceptus, mare *altius* esse putet litoribus suis. At omne hic dubium ex versione oritur. Christus enim non in altum, sed *eis τὸ βάθος* in profundum nauem ducere iubet, h. e. in medium maris, vbi maior est aquarum, quam prope litora, profunditas.


V. *Imperitia hermeneutica, quæ hoc in negotio maxime proditur:*

1) *Quando scilicet illæ adcommodationes sæpe numero non e verbis scripturæ eruuntur, sed illis inferuntur, immo obtruduntur; neglecto pulcherrimo illo HILARII monito: Optimus ille scripturæ sacræ lector est, qui dictorum intelligentiam exspectet potius ex dictis, quam imponat; & retulerit magis, quam attulerit: neque hoc cogit videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumferat intelligendum; lib. I. de Trinitate, p. 11. ed. Paris. MDCLII.* Ita verbis Psal. LXXXII, 5. *Nutabunt omnia fundamenta terræ,* inuolutus esse a nonnullis putatur error vulgaris, quasi terra radices suas ad inferiora in infinitum protendat, nullosque habeat in altero suo hæmisphærio incolas, qui nobis pedes obuertant. Sed vbi quæso vel vola vel vestigium popularis huius erroris in

G

hoc

hoc psalmi loco adparet? Obtruditur hic error verbis, non ex illis funditur. Quid enim impedit, quo minus per *fundamenta terræ* nutantia intelligantur *partes eius interiores centroque propinquiores*, quibus superficies exterior, velut domus fundamentis suis, incumbit. In magno enim terræ motu non superficies tantum, sed penetralia quoque & interiores terræ sinus, concutiuntur. Ita sunt, qui *planetas* Iudæ vers. 13. falso dici putant *stellas erraticas*, quia ex vulgi errore vagum & incertum cursum teneant; quum interim docti sciant, eas cursum tenere ad iustissimas leges adstrictum, & fixis orbitis inhærentem. Enimvero falso supponitur Iudam comparationem instituisse inter seductores & planetas, *ratione cursus incerti & vagi*; quum tertium potius comparationis *in defectu luminis proprii* quærendum sit. Nam planetas esse corpora opaca, proprio lumine carentia & mutuatitio splendentia, a doctis obseruatum fuit. Vid. cl. IOH MELCHIORIS VERTRIESII introd. in *phys. recent. part. II. c. III. §. 13.* Significare igitur Iudas voluit, seductores nomen quidem stellarum habere commune cum aliis ecclesiæ doctoribus, sed luce diuina carere, & nil nisi mutuatitium splendorem, eumque externum, habere; vnde eos minime aliis facem præferre posse ad salutem, sed & ipsos aberrare, & seducere alios. Sic recte constituto tertio comparationis nulla popularis erroris vestigia hic comparent. At nimirum pluribus scripturæ dictis id contingit, vt, equuleo hermeneutico iniecta, cogantur fateri, se vulgi erroribus fauere. Postquam enim hypothesis illa de sacris literis ad opiniones adcommodatis, in contradictionem venerat, WITTICHIVS & alii eius patroni omnem lapidem mouerunt, vt ingentem dictorum scripturæ exercitum conscriberent, quæ non aliter nisi ex vulgi opinione vel externa rerum apparentia explicari possint; in quo exercitu multæ erant copiæ, ad arma ferenda vi & fraude conquisitæ.

2) *Quando particule parâam apte vertuntur.* Quid cogit e.g. viros doctos, vt verba Psalmi XXIV, 2. vbi Deus dicitur terram  fundasse, de fundatione *SUPER maribus* exponant, eaque

eaque ad commodata dicant vulgari illi opinioni, qua *terra maribus innatare* ab imperito vulgo censeatur? Quidni sensus esse possit: Deum terræ ad mobiles marium fluuiorumque *aquas* nihilominus consistentiam dare potuisse; ita vt partes ipsius arctissimo vinculo maneant inter se coniunctæ, quamuis nullum vinculum adsit, quod illas compingat. Sic *לע* idem est ac *ad* vel *iuxta*, vti Psal. CXXXVII, 1. Vel secundum alios sensus est: Deum ita terram fundasse, vt *supra aquas emineat*, nec ab iis rursus submergatur. Ita vero ad commodatio ad vulgi errorem prorsus hic exulat atque euanescit.

3) *Quando in vocabulis, quæ pluribus significationibus gaudent, non ea, vt par erat, eligitur, quam substrata materia requirit.* Ita quum 2 Sam. XXII, 8. *מוסדות השמים* fundamenta cæli & Iob. XXVI, 11. *עמודי שמים* columnæ cæli, hoc est *montes*, coll. Psal. XVIII, 8. commoti dicuntur, sunt, qui *montes* ita dici putant ex populari errore, ac si cælum montibus, vel, vt olim fabulabantur poetæ, atlanti incumberet. Sed in *cæli* vocabulo æquivocatio hæret, quippe quo hic minime cælum astriferum, sed aerium, eiusque regio inferior, in qua aues (quæ hinc sæpe dicuntur *aves cælorum*) & nubes feruntur, designatur; vt Psal. CXLVIII, 4. ad quem locum plura loca biblica congeffit ven. IO. HENR. MICHAELIS, in *not. vber.* p. 1093. Hoc igitur cælum quum excelsi montes proxime attingant, quumque aer pondere suo in montes quam maxime incumbat; rectissime, & sine vlllo ad vulgi fabulas respectu, montes cæli fundamenta dici possunt. Sic IO. BRUNSMANNVS p. 389. *Montium apices cæli fulcra dici possunt, quia solum iunt atmospheram aeris, qui in se grauis, non minus quam reliqua sublunaria, sustentatur tellure.* Sic quum radix *כח* in Piel significationem non solum firmandi ac stabilendi, sed etiam aptandi ac disponendi habeat, postremam eligendam censet CL. WUCHERER, in *hist. creat.* p. 195. in loco Psal. CXIX, 90. *כוננת ארץ ותעמוד* vt DEO tribuatur honos, quod ipse sit, qui constituerit, qui parauerit terram, qui eam ipsi dederit structuram, qua scopus, quem intendit, obtineri possit,

fit, eademque sine ullo sustentaculo ita confirmata sit, ut egrediatur numquam limites, quos in creatione sua acceperit; coll. Prov. III, 19. Psal. VIII, 4. Similiter quum verbum עָמַר non solum immobilem subsistentiam, sed etiam *permanentiam* denotet, posteriorem significationem hic & Coh. I, 4. eligendam esse v. CL. decernit, ut sensus sit: *O Domine, tu terrae adsignavisti locum aliquem, ne motu vago huc illuc titubet, eique leges praescripsisti, quum parares eam, ut, quamvis motu intestino pariter ac progressivo moveatur, nunquam tamen limites suos egrediatur. Hunc ordinem praestitutum sequi ut terra, manet in eodem, nec dissolvetur unquam, nisi tuo iussu, nec locum extra circulum suum nec statum hunc mutabit unquam, nisi tuo iussu.* De formali significatione vocum נָצַח & חָיִל vide quae profert CL. BECKERVS, in *theoria motae telluris* p. 55. seqq.

4.) *Quando formalis vocum significatio non attenditur.* Ex. gr. quum Gen. I, 19. Psal. CXXXVI, 7. cet. *luna* luce cassa dicitur מְאֹרָה *luminare* & quidem *magnum*; omnis necessitas, ad opinionem vulgi confugiendi, concidit, si obserues, מְאֹרָה dicitur *instrumentum lucendi*, quod lucem spargit & cum aliis rebus communicat, siue propriam illam habeat, siue alienam & velut mutuo acceptam; uti aureus ille lychnuchus, etiam lampadibus extinctis, מְאֹרָה dicitur Num. IV, 9. Quod si igitur luna vel nullam omnino propriam lucem haberet (quod tamen non omnes naturae consulti concedunt, teste BRUNSMANNO, in *gratia naturae interpr.* p. 281.) potest tamen מְאֹרָה recte dici, quia lucem, a sole acceptam, in terram mittit. Immo & אֹר *lumen* dicitur Psal. CXXXVI, 7. quamvis aliena resplendat luce; sicut credentes & sancti, Christi lumine resplendentes, lux mundi Matth. V, 14. & φωστῆρες dicuntur Phil. II, 15. Nam & φωστῆρ dicitur ἕκαστὸ τὸ φῶς, ἀλλὰ φωτὸς δεχέειον, *non ipsa lux, sed lucis receptaculum*; obseruante DAMASCENO, de *orthodoxa fide* lib. III. c. VII. Quod vero *magis* luminaribus luna accenseatur, quam quibusvis fere stellis minorem esse astronomi decernunt, non fit ex iudicio vulgi, qui lunam reliquas stellas magni-

magni-

magnitudine superare imperite existimet; sed ex ipsa rei veritate. Magna enim dicitur non tam ratione *molis*, quam ratione *luminis*, quod terræ, in cuius usum condita est, subministrat. Ratione autem *molis* suæ, etsi in se satis magna illa est, comparate ad corpus solis mox in eodem versiculo ab ipso etiam Mose *paruum luminare* vocatur. Vti præter BRUNSMANNVM p. 284. seqq. etiam ostendit GVIL. SALDENVS, in *otiiis theologicis, lib. IV. exerc. IX. p. 777. seqq.* ubi aduersus hanc hypothesein per quandam digressionem disputat. Bene etiam cel. SCHEVCHZERVS, in *physica sacra, tab. XI. p. 22.* Die Sonne verhält sich gegen die Erde, wie 1369078 zu 1. der Mond aber gegen sie, wie 1 zu 47. mithin gegen die Sonne, wie 1 zu 64346676. Nichts destoweniger erhält dieses kleine Mondstäublein bey nahe gleichen Rang mit dem unerschöpflichen Feuer- Meer, der Sonne. Heißet groß und auch klein. Klein in Absicht auf die Größe der Sonne; groß in Ansehung des Scheins und Nutzens. Siehe demnach, vir egregius addit, gottliebender Leser, wie die Stern- Wissenschaft aufs beste mit der heiligen Schrift übereinkommt. Denn es ist ganz unnöthig sich mit der gewöhnlichen Ausflucht zu behelfen, als ob die Schrift nach des gemeinen Mannes Begriff rede. Aliud exemplum subiiciamus. Sæpe in scripturis dicitur, Deum *fundasse* terram Iob. XXXVIII, 4. Ps. CIV, 5. Prou. III, 19. quæ loca ii vrgere solent, qui terra mobilitatem negant. Sed obseruat v. CL. IO. FRID. WVCHERER, in *hist. creat. p. 141. sq.* quod formalis significatio vocis  $\text{יָסַד}$  sit, *certum terminum alicui rei constituere*, vti *aquæ* etiam *fundatae* dicuntur Ps. CIV, 8. 9. quatenus limites illis constituti sunt, quos numquam possunt superare. Terra igitur *fundata* dicitur, quatenus intra circuli sui limites ita constituta est, vt nec recedere longius a sole, centro suo, nec propius ad eum accedere possit. Sic *fundamentum terræ* Prou. VII, 29. designaret, talem rationem construendi, qualis requiritur ad permanentiam, ad conseruationem & ad productionem effectuum, qui ex terra prognascuntur.

5.) Quando tamquam absolute dicta accipiuntur, quæ respectiue intelligenda erant. Ita CHRISTOPH. WITTICHIVS,

in *consensu veritatis* p. 392 iis in locis, ubi de *finibus* vel extremitatibus *cæli* sermo est, ut Deut. XXX. 4. Es. XIII, 5. Ier. XLIX, 36. locutionem manifesto desumptam esse censet a præiudiciis sensuum. Ita enim, ait, videtur ei, qui sensibus tantum innititur, ac si *cælum* esset *hæmisphærium*, quod in extremitatibus *terre* finibus deficiat, ita ut *terre* innitatur. Sed rectius CL. HOLLMANNVS, in *diss. de obligatione astronomi erga Scripturam* p. 70. *Termini, fines & extremitates cæli dicuntur, non absolute & in se, quasi actu cælum in illis horisonti punctis, ubi terram attingere & vulgo male iudicatur, terminaretur; sed respectiue & in relatione ad visum nostrum, quia ille ultime cæli partes sunt, quæ ob interiacentem terræ globositatem videri a nobis possunt, adeoque & visus noster in illis finitur & terminatur, atque vltra illas nullas ex inferioribus cæli partibus assequi amplius potest; quod certe ab eo sensu, quo vulgus cæli terminos & fines statuit, longe diuersum est.* Adde BRUNSMANNVM p. 357. *seqq.* qui & de finibus *terre* quorum Psal. XLVIII, 11. Ier. X, 13. & alibi mentio iniicitur, p. 422. *seqq.* erudite agit, ita ut nihil popularis erroris illis locis adipesum esse euincat. Similiter quæ de diuisione *terre* in plagas dicuntur, *respectiue* interpretanda esse docet CL. BECKERVS in *theoria motu telluris* p. 31. *seqq.*

6.) Quando proprie & ad literam accipiuntur, quæ improprie vel proverbialiter dicta sunt. Ita verba Apoc. VI, 13. *Et stelle cæli ceciderunt in terram*, frustra adcommodata esse creduntur ad opinionem vulgi, qui *stellas* terra multo minores esse putet. Per *stellas* enim *cæli* non sidera illa cælestia ibi intelliguntur, sed stilo prophético & metaphórico, ordinis ecclesiastici homines, magna conspicui in ecclesia dignitate, e statione illa sua cum dedecore & ignominia deturbandi, ut ostendit CAMP. VITRINGA, in *anacrifi apocalypseos*, p. 287. Similiter quum *aspis aurem obturare dicitur ad vocem incantatoris* Psal. LVIII, 5. SAM. BOCHARTVS in *hierozoico*, part. II. c. VI. *figurate* id dici existimat, quatenus dicta incantatoris non exaudit nec curat, eiusque carminibus nihil mouetur; uti immisericors ad clamorem pauperis aurem obturare dicitur Prou. XXI, 13.

7.) Quan-

7.) *Quando in locutionibus tropicis tertium comparationis non recte determinatur.* Ex. gr. quum sol Cohel. I, 4. dicitur *adspirare ad locum suum*, proprie id intelligi non potest, nisi tibi persuadere velis, solem esse creaturam viuentem, respiratione aeris vtentem & voluntate præditam. Quando vero hoc loco cum cursore sol comparatur, qui in conatu, cursum absol- uendi, frequenter respirat & largiter aerem haurit; *tertium comparationis* secundum Copernicanos non consistit in motu solis locali & progressiuo, sed in vicissitudine ortus & occasus solita, ordinaria, quotidiana, semper iterata, numquam cessan- te. Similiter ad locum Psal. XIX, 6. *Sol est sicut sponsus egrediens ex thalamo suo, & lætatur sicut robustus decursurus viam suam*, hæc adnotat CL. BECKERVS loc. cit. p. 41. *Tertium compara- tionis* occurrens in simili isto *sponsi & herois*, non est processio & cursus, sed *nitor, venustas, inexhaustæ vires*. Est scilicet in- star sponsi ex thalamo prodeuntis lætus aspectu & venustus; est instar herois cursum incipientis ita efficax & robustus, vt eius viribus aut formositati decedere aliquid numquam obser- uemus. Aliud exemplum ex ep. Iudæ vid. ad n. 1.) Hæc de *caussis* suspectæ hypotheseos.

\*\* *Effectus* huius hypotheseos, prout a multis periculose extenditur, sunt satis noxii, vt haud immerito comparari possit cum ovo basilisci, ex quo compresso & rupto vipera excludi- tur Es. LIX 5. Quod si enim sententiam illam rigido examini subiicias, eamque velut premas, rumpas, excutias; adparet, la- tere in illa letiferum virus, in perniciem sacrosanctæ religionis a multis callide destinatum. Nam

I. *Scripturam sacram, reuelatæ religionis principium in a- pertum discrimen contemptumque adducit*; vnde in sacras literas eam admodum esse iniuriosam iudicat PETRVS VAN MAESTRICHT, in *theologia Cartesiana detecta*, p. 69. Parum certe honorifice de verbo Dei sentit, qui ei tribuit *eine Döbel Philosophie*; quæ proteruia quorsum hoc seculo, ad pessima quæque prono, eua- sura sit, prudentiores cum tremore vident. Peripicue satis periculum, quod hæc doctrina sacro codici minatur, ante ocu- los

los

IOS PONI IO. BRUNSMANNVS, lib. cit. p. 31. Si quæ de naturæ  
 rerum diuinæ adfirmant literæ, ex arbitrio humano ad puras re-  
 uocare licebit opiniones; eo res demum euadet, ut nescias, quid  
 in scripturis credas, quid non credas. Ea enim intellectus nostris  
 est ratio, ut ubi semel se deceptum existimat, inde postea refugiat,  
 alibi quoque decipi se posse credens. Quare mens in physicis sa-  
 cræ scripturæ semet ludi videns, proque veritate opinionem, pro  
 nucleo putamina deprehendens, eo progredi per facile potest, ut ce-  
 teris semet similiter ludi credat: sic, ut tandem nibilo plus diui-  
 nis, quam humanis tribuat scriptis: id quod plurimis sectæ huius  
 hominibus ad vltimum accidisse negari non potest. Immo sua na-  
 tura istud ad præcipitium hæc methodus ducit. Nam si ideo  
 puræ opiniones scripturis sunt attribuendæ, quod earum veritas  
 cum humanis non concordet placitis; ubicumque in scriptura di-  
 uina aliquid hominum dissenserit ab argutiis, opinatum modo id  
 erit, aut adparens, & consequenter nulla fide dignum. Itaque  
 si quid HOBBSIVS contra scripturam delirauerit; triumphabit  
 Hobbesius, scriptura iacebit. Si quid SALMASIVS somniaue-  
 rit, id omnium, scripturæ autem verbum nullius merebitur suf-  
 fragium &c. Ita quisque inueniet scripturæ partem, quam la-  
 cerabit, quam in triumphum ducet, & modo hæc, modo alia sacra-  
 rum pars literarum proteretur, inque rapinam abducetur. Idem  
 fatetur Copernicanæ hypotheseos defensor, CL. IO. HERM. BE-  
 CKER, in theoria motæ circa solem telluris, scripturæ sacræ non  
 inimica p. 14. 15. Sunt iniurii in sacras literas, qui in rebus na-  
 turalibus urgent ad commodationem ad captum vulgi erro-  
 neum. Nam loqui ad captum vulgi erroneum est errare cum  
 errantibus, mentiri cum mentientibus, negligere veritatem,  
 euertere veritatem, & tam se aliorum neuis reddere obnoxio-  
 um, quam alios suis decipere pseudoloquiis? Similiter ven. LOE-  
 SCHERVS, in analectis ex omnium meliorum literarum genera-  
 tom. I. p. 148. Dicere, scripturam pronuntiare ex opinione vulgi  
 est



*est solis luci tenebras offundere, eloquia diuina contemptui hominum exponere, foresque ad omne genus irreligiosarum opinionum patefacere.*

II. *Isthæc hypothesis libertinismo, de rebus etiam diuinis quilibet sentiendi, mirum in modum patrocinatur. Vti enim ex cupiditate effrenis istiusmodi licentiæ, vt ante diximus ortum trahit, ita eidem etiam stabiliendæ amplificandæque fideliter inseruit. Nimirum hæc fides, (vtimur rursus SPINOZAE verbis) summam unicuique libertatem ad philosophandum concedit, vt quidquid velit, DE REBUS QUIBUSCVMQVE sine scelere sentire possit. Quæ doctrina quam salutaris, quamque necessario sit in republica, vt homines pacifice & concorditer viuant, omnibus iudicandum impostor relinquit, in tract. theol. pol. c. XIV. p. 164.*

III. *Isthæc hypothesis, si longius longiusque in dies extendatur, ad impietatem ducit, reuelatamque religionem pedibus conculcandam supponit. Nemini certe lingua illa de sacris literis, ad erronea vulgi præiudicia † ad commodatis, frequentior & familiarior fuit, quam SPINOZAE atheorum nostræ ætatis principi; vt supra sect. I. §. VIII multis exemplis docuimus. Et sane, si fundamenta prophetarum & apostolorum, quibus vniuersum reuelatæ religionis ædificium incumbit, vacillant; si viri illi diuinitus inspirati contrarias de theoreticis religionis capitibus opiniones habuerunt, iudice SPINOZA p. 21. 28. si auditorum suorum præiudiciis dogmata sua ad commodarunt p. 29. si, quamuis dogma aliquod fidei clarissime scripturæ verbis contineatur, nobis tamen licitum est, contrarium sentire, quandoquidem verba illa ad captum tantum illius æui hominum ad commodata fuerunt, p. 28. si proinde rerum spiritualium cognitio a prophetis peti non potest; sed in eis, prout cui-*

H que

† Hac phrasi, *scripturam loqui secundum erronea vulgi præiudicia*, in primis suis scriptis Christophorus Wittichius etiam vsus erat; postea vero ab illa se abstinuit, quemadmodum

in præf. ad *consensum veritatis* promisit: id quod in ipso laudat eius defensor Abr. Heidanus in *considerationibus ad res in academia Lugduno-Batava gestas*, p. 86. 90.

que libet, liberum est credere p. 28. si Moses ineptissimas de Deo opiniones animo fouit, quibus Deus reuelationes, ipsi factas, attemperauit, p. 24. 25. si piis nonnunquam fraudibus sapienter scilicet usus est, atque e. g. historiam creationis, quam per multiplices & diuturnas chaos transformationes absolutam fuisse norat, in sex dies contraxit. quoniam diem septimum pro sabbato habere & consecrare decreuerat, iudice BURNETTIO in *archeol.* p. 450. si hæc, inquam, ita se habent: aperta est via ad religionis diuinitus patefactæ conculcationem, nihilque superest, quam ut sapientes huius seculi eam, tamquam fabulam, in vulgi vsum adornatam, in perpetuum exsilium expellant.

IV. *Istæ hypothesis committit inter se librum naturæ & scripturæ tanquam hostiliter inter se pugnantes, quod rursus in detrimentum religionis cedit.* Qui enim naturam & scripturam sibi inuicem contradicere statuit, is ansam præbet, ut blaspheme de Deo nasutuli cogitent, qui, dum auctor est naturæ pariter ac scripturæ, sibi ipsi hoc modo contradicit, aliter agendo per naturam, aliter profitendo per scripturam. Aut enim vera sunt, quæ scriptura dicit; sic falsa esse debent, quæ tu naturam suadere asseris. Aut vera sunt, quæ natura suadet; sic falsiloqui a te insimulatur codex sacer. Non est igitur aliquid detrahendum gloriæ diuinæ ex alterutra parte. Non est occultanda veritas scripturæ, ut naturam euehas; nec fingendum est aliquid falsi in natura, ut scripturam interpreteris. Deus enim sibi ipsi constans, non est is, quem pœniteat verbi, ut factis & operibus contrarium edat, nec quem pudeat facti, ut verbis secus quid adstruat. Unus idemque est, qui creatione huius vniuersi, idemque qui reuelatione verbi manifestauit se Deum maiestaticum & veracem. Sic CL. BECKERVS *loc. cit.* p. 25. 16.

Subiicimus de effectibus lubricæ huius hypotheseos venerabilis WEERSMANNI iudicium, in *schediaism. acad.* p. 454. *Nihil certius est, quam quod perpetua illa de sermone scripturæ sacre populari declamatio, quæ hodie in usu est, monstrum aliquod alat, scripturam in contentum adducat, præsumtuosos sapientes ab illius iudici.*

visdictione directe & indirecte eximere tentet, pleraque illius testimonia hoc pretextu eludendi occasionem præbeat latissimam, scripturæ ipsi regulam & normam superiorem (philosophiam scilicet) ponat: in specie vero de stilo improprio & figurato, quo sapientissime in quam plurimis usus est Dei spiritus per instrumenta sua, & qui admirabilem habet emphasin & efficaciam, abiectione sentire doceat. Absit tamen, ut omnibus, qui hanc hypothesein profitentur, imputemus, quod malignos illos effectus intenderint. Sufficit, quod ex hypothesei ipsa, longius in primis, quam par est, extensa, putres illi fructus sponte nascantur: qui proinde vnumquemque, cui causa religionis curæ cordique est, ab ista sententia propugnanda absterrere debent.

## §. III.

Iam propositum nobis erat, ire per singula huius hypotheseos genera, quidque in iis iure meritoque desiderari possit, candidè declarare. Sed quum breuitati studendum sit, in paucissimas obseruationes cogitata nostra contrahe-  
mus.\*

\* I. Qui ad erroneos VULGI INDOCTI conceptus plurima scripturæ loca adcommodata statuunt, factum id putant

1) *In rebus physicis vel naturalibus.* Hic vero negare non possumus, semper nobis monstruosam visam fuisse hanc adfertionem: Deum, naturæ parentem, de rerum natura loqui ex errore vulgi, adeoque *creatorem de creaturis suis, apud creaturas ratione præditas, falsum dicere testimonium.* Equidem fatemur, scripturas sacras non eo nobis sine traditas esse, ut integram inde physicam addiscamus; † fatemur, scripturæ, vbi de rebus naturalibus differit, non esse in more positum, ut omnes ea-

H 2

rum

† Scriptura non tradit scientiam naturalem, quam pauci capiunt, sed ex historia naturali varia immiscet, adeoque eam cum verbis notionem

coniungit, quæ attentis ad phenomena naturæ occurrit; quod nec doctissimus evitare potest; obseruante cl. Beckero; loc. cit, p. 23,

rum causas, scholarum ritu, ordine persequatur; *fatemur* denique, si phænomeni alicuius naturalis veritas ex certis indiciis atque experimentis constet, tum eam non ideo esse negandam, quod dictum quoddam scripturæ in speciem videatur aduersari: quippe quum verum vero nunquam esse contrarium possit, atque vnus idemque sit libri naturæ & scripturæ auctor; emendandum est, vt naturam atque scripturam in concordiam redigamus: quod iam olim suasisit AVGVSTINVS lib. I. de *genesi ad literam* c. XIX. XXI. quodque eundo per singula scripturæ loca, quæ naturæ contradicere videntur, præstitit IO. BRVNSMANNVS in *gratia scripturæ interprete* libro V. toto. Rectissime etiam ven. IOACH. LANGIVS, in *thesibus physicae Comeniana, ad lumen diuinum reformatæ* p. 2. circa naturam philosophandum esse dicit teste SENSU, duce RATIONE, & luce SCRIPTURÆ sacra. Et p. 4. *Vt suorum, inquit, quisque verborum, sic certe naturæ conditor, Deus, optimus sui ipsius est interpret.* Ergo quod adfirmat scriptura, id adfirmet & physicus; quod negat, neget; de quo tamen taceat, neuiquam taceat. Idem sentit V. CL. IO. ERID. WUCHERER, in *instit. phil. natur.* p. 163. Auctor scripturæ, Deus, est etiam auctor naturæ. Non ergo dubitari potest, quin auctor naturæ officium, a se confectum, omnium optime intelligat, & fieri plane nequeat, vt ipse vlllo modo fallatur aut fallat. Quare mihi firmiter persuasum est, dogma physicum, quod euidenter in scriptura refertur, esse verissimum certissimumque. Nollem igitur eorum ex omni parte admittere responsionem, qui scripturam VVLGI MORE loqui dicunt. Quum enim vulgus decipiatur sæpius in persuasiōibus suis, erretque; quis scripturam errare, veritatis ac sapientiæ fontem, aut saltem ad errores sese attemperare dixerit? Abhorrere ea loquendi ratio videtur a veneratione illa, quam debemus verbo diuinitus inspirato. Nostra sententia coabit, scripturam loqui de rebus, aut in sensu absoluto, aut respectiuo spectatis; non exponere semper res, prout sunt in se, sed prout sese habent in ordine ad terram nostram consideratæ: aut si maui, nonnunquam optice, nonnunquam absolute de rebus differere. Quo etiam tendit ven. SAL. DEY-

DEYLINGIVS *obseru. sacr. part. I. p. 355.* Periculosissime autem illos errare putamus, qui *Mosen* in describenda *mundi creatione* non veritatis, sed vulgi rationem habuisse credunt. Ita enim *Moses* cum exordio totius scripturæ exponitur profanorum hominum ludibrio, quasi prima sacri voluminis historia manifestis mendaciis scateret. At vero Deum mentiri nescium verbum veritatis a mendaciis, in vulgi gratiam confictis, incepisse, quis sanæ mentis homo sibi persuadeat? Scribebat *Moses*, reuelante Deo, mysteria, nulli per naturam nota: agebatur de primo fidei articulo aduersus gentilium tenebras: demonstranda erat lux veritatis; fabula non erat opponenda fabulis. Si *Moses* debuit consulere populo suo, debuit etiam suæ consulere historiæ, ne fabula deceptoris haberetur. Sed somnia illa TH. BURNETII, præter multos viros doctos in Anglia, inter Belgas etiam confutauit MELCH. LEIDCKERVS in *archæologis sacræ*, reip. Hebræorum subiectis, *dissert. VI.* & inter Danos IANVS BIRCHERODIVS, in *Anti-Burneto.* GVIL. WHISTONI audaciam modeste castigauit IO. WITTY, in *vindicatione expositionis vulgaris historiæ M. saicæ de creatione mundi*, vndecim epistolis, lingua Anglicana scriptis, tentata, quarum argumentum non sine laude recensetur in *actis erud. Lips. lat. ad an. MDCCVII. p. 161. seqq.* Aduersus CLVERI *geologiam* disputauit ZACH. GRAPIVS, qui & in *theologia recens controversa continuata p. 3. seqq.* videri potest.

2) In rebus astronomicis eadem rationes, quas ante attulimus, pro veritate scripturæ militant. Equidem vt. litibus de terræ solisue motu nos immisceamus, non postulat instituti nostri ratio. Interim vnicuique licet in creatoris fallere nescii testimonio acquiescere, donec Copernici sectatores loco probabilium, quibus pugnant, argumentorum inuictas demonstrationes attulerint, suumque systema ab omnibus, quæ contra illud moueri possunt poteruntque, dubiis penitus liberarint. † Nondum enim illud extra telorum iactum esse positum,

H 3

variis

† Nupèr demum viri astronomiæ discursu, qui MDCCXXVIII. in peritissimi, *de l'Isle & Bernouilli* in academia scientiarum Petroburgi

varius obiectionibus in medium prolatis ostendit CL. HOLL-  
MANNVS, in *diff. de obligatione astronomi christiani erga scriptu-  
ram sacram*; in qua dubia aduersus diurnum terræ motum so-  
lisque quietem eo scopo se protulisse scribit p. 3. *ut homo, pro-  
fessione astronomus, religione christianus, quandoquidem tan-  
tas adhuc aduersus terræ motæ systema surgere difficultates ani-  
maduertit; scriptura autem sacra, infallibilis illa Dei conditoris  
vox, quietem terræ tribuit & soli motum: eo facilius a Coperni-  
cea hypothesis, rationi admodum adblandiente, se dimoueri patia-  
tur, atque in Dei ipsius, in scriptura sacra loquentis, sententiam  
concedat.* Si tamen systema Copernicanum ab obiectionibus  
omnibus vindicari, & systema terræ quiescentis irrefragabili-  
bus rationibus (quod nondum factum est) destrui euertique  
possit: tutior nobis videtur via, quam CL. ZIMMERMANNVS  
ingressus est in *scriptura sacra copernizante*, si modo scripturæ  
dictis nulla vis inferatur, eaque, fauente ebraismo, in medi-  
um proferantur eorum expositiones, in quibus hominis reli-  
giosi conscientia tuto acquiescere possit. Zimmermanni enim  
explicationes non satisfacere scripturæ verbis, neque vim eo-  
rum exhaurire, supra sect. I. ad §. IV. iam obseruauimus, idem-  
que nobiscum sentit B. MAIUS, in *æcon. temp. vet. test.* p. 86.  
qui ἐπέχων in hac quæstione eligit & *Malo*, inquit, *ignorantiam  
meam fateri, quam quidquam diuinis effatis derogare.* Cete-  
rum si qui sunt, qui aliis modis, † salua literarum sacrarum au-  
thoritate, efficere possunt, ut scriptura Copernicanis obser-  
uatio-

prælectus est, publice facti sunt, per  
obseruationes astronomicas verum  
mundi systema definiri non posse.  
Man könne (ut refertur in gelehrten  
Zeitungen 1728. p. 930) aus den allerge-  
wiffsten und accuratesten obseruatio-  
nibus von der parallaxi der Fixsterne  
die Bewegung der Erde weder unmi-

dersprechlich erweisen, noch widerle-  
gen. Den vornehmsten Beweis für  
das Copernicanische System müsse  
man nehmen aus dessen Simplicität,  
Regularität und aus der Ähnlichkeit  
der übrigen Planeten mit unrer Erde.  
† Quales supra recensuimus sect. I.  
ad §. IV.

uationibus non amplius contradicat, † nos quidem non refragabimur, si modo a calumniis in sacrum codicem abstineatur. *Impium enim esset, ait CL. WUCHERER in hist. creat. p. 178. & a veneratione quam verbo Dei debemus, alienum plane, contra scripturae auctoritatem tueri velle solis stationem. Nec ego verbulum adderem pro defendenda hypothesis Copernicana, si vestigium saltem adpareret, quod eidem scriptura sacra aduersaretur.*

3) *In rebus medicis desperatum putamus esse evgenia BALTH. BECKERI, in malae causae gratiam adoptatum, quod Christus, & ad eius exemplum euangelicae historiae conditores, morbos hominum furiosorum, ex vulgato iudaeorum gentiliumque errore, daemonia vocauerint. Sed dudum illud causae Beckerianae praesidium prostrauerunt, qui ipsius hypotheses examini subiicerunt, quos supra sect. I. ad §. V. nominauimus. Videatur VEN. SAL. DEYLINGIUS, in obseru. sacr. part. II. obs. XXVIII. de daemonijs a Christo sanatis, p. 283. & B. MAIUS, in theol. euangelica, part. I. p. 625. cuius verba exscribere breuitatis studium nunc prohibet. Add. B. SPENERVS in concione, Berolini 1696. habita, & Beckerianis hypothesis opposita, quae exstat in der Lauterkeit des Evangelischen Christenthums, tom. I. p. 463. seqq.*

4) *In rebus mathematicis, historicis ac chronologicis nullas in scriptura agnoscimus ad vulgi errores adcommodationes. In hoc enim rerum genere veritas suprema lex est, quam qui postponit, nulla fide dignus habetur. Mare aeneum sine hac hypothesis vindicari a SPINOZAE obiectionibus posse, viri docti quos sect. I. §. VI. adlegauimus, ostendunt.* PEYRERII,

SPI-

† Effici id non posse iudicat Læscherus, in inquisitione noua in sententiam Copernicanam de motu terrae ac quiete solis, quae inserta est tomo I. analectorum, quae euulgat societas caritatis & scientiarum, vbi simul nouam proponit hypothesin astro-

nomiam, a Copernicana diuersam & Tyconica meliorem; in qua tamen alii etiam inuenient, quae reprehendant. Conf. quae nuper ad systema Copernicanum ornandum atque commendandum protulit William Derham, in praef. astr. theologiae,

<sup>S</sup>PINOZAE, HARDTII de historicis scripturæ rebus effata, quæ ibidem allegauimus, tanquam in spiritum sanctum iniuria detestamur. Loco Act. XIII, 20. suam constare veritatem, adeoque non opus esse, vt Paullum erroneum Iudæorum calculum sequutum esse, cum BEROALDO dicamus, euincit IO. LVD. LINDHAMMERVS, amicus noster integerrimus, in *comm. germanico in acta*, pag. 497. seqq.

5) In argumentationibus virorum sanctorum nihil vitii popularis hæere firmiter credimus. Censoribus illarum meditata proponimus verba HERM. WITSII in *melet. Leidens.* p. 221. *Equidem non sine indignatione delicatulorum quorundam interpretum miniatulas lego, nunc ratiocinationes apostoli, nunc stilum & loquendi modos, temeraria præsumptione sugillantium; quasi intelligi & exponi non possit, nisi frequenter ei veniam male connexarum argumentationum & incommodarum locutionum faciant &c.* Quid ad exempla, quæ auctor *Mosis vindicati* protulit, respondendum sit, iam supra *sect. I. §. VII.* ex actis erud. Lips. recensuimus. CLERICI & SIMONII adserta, quibus Pauli argumentationes, ex sensu mystico petitas, ingenio Iudæorum allegorico, & elumbibus argumentis contento, ad commodatas putant, ingentem cladem religioni christianæ inferre, in *instit. nostris hermen.* p. 156. 791. f. qq. comprobauimus. καὶ ἀνθρώπων tamen eos nonnumquam disputare, quousque concedi possit, ostendit BRUNSMANNVS p. 125. seqq.

6) In rebus, quæ ad fidem & mores spectant, nihil docet adfirmatque scriptura, suprema fidei & morum regula, quod non veritati omni ex parte sit consentaneum; quamuis passim *verbis impropriis* ac metaphoricis vtatur. In eiusmodi vero locutionibus, vbi spiritus sanctus adhibet symbola, metaphoras, comparationes, vt de certo quodam tertio cogitemus, sub quo res captum humanum superans nobis blande insinuatur: ibi plane a scopo aberrat, qui hic ad commodationem ad captum vulgi errantis subesse somniat. Si e. g. scriptura de vita æterna loquens accubitus ad mensam, epulas, sessionem in sellis, coronas & similia promittit; non ad captum vulgi errantis

tis



tis sese adcommodat spiritus veritatis, sed id agit, ut tertium aliquod comparationis suppeditet, quo doceantur mortales de vltia æterna iucunda quæque & magnifica sibi promittere, & ad satietatem, non a ferculis, sed a summi boni fruitione expectandam, adspirare. SPINOZÆ obtreccionibus, qui vniuersam scripturam ad præconceptas vulgi opiniones conformatam esse calumniatur, transfixit B. IO. MVSÆVS, in *examine tractatus theologico politici*. Addimus ven. WEISMANNI epicrisin in *schediasmat. acad. p. 453.* Dicit non debet, scripturam sacram ideo in popularibus plerumque & primis de Deo ideis subsistere, quoniam ad captum vulgi adcommodari debuerit; non tam ad accuratam de Deo scientiam, quam ad cultum Dei piosque erga ipsum affectus excitandos destinata. Præterquam enim quod hæc hypothesis, (quamuis aliquid ex vero trahat) in eo sensu, quo a multis accipitur & periculose extenditur, ut longe falsissima, & immediatam ipsius Dei de suis perfectionibus & actionibus institutionem humani ingenii meditationibus & ratiociniis de iisdem non sine ingenti Dei contumelia, in multis postponat: res ipsa quoque ac diuturna pridem docuit experientia, nemini magis, quam doctis ipsis frenum scripturæ, & limites modestiæ, in ea a spiritu Dei positos, opus esse, huiusque regulæ neglectum, sæpe etiam contemptum, in finitorum ingenii humani abortum causam atque occasionem fuisse.

7) In locutionibus scripturæ anthropathicis *συγκατάβασις* quidem diuinam ad naturalem intellectus nostri infirmitatem agnoscimus, qua fit, ut nullam nobis de re immateriali conceptum formare possimus, nisi illa sub materiali aliquo symbolo nobis sistatur. Minime vero concedimus Deum, quum humano more de se loquitur, ad captum vulgi erroneum sese attemperare, aut fallax sensuum iudicium sequi. Recte CL. BECKERVS, in *theoria motæ telluris p. 11.* Quoties vides canonem sacrum uti *ἀνθρώπων παθεῖν*, ne dixeris confirmari nos in erroneis illis & materialibus ideis, sponte sua in intellectu deprauato

generatis; potius sanctum & inculpabile agnosce institutum spiritus sancti, qui quum omnes nostrae ideae in hac imbecillitate non possint non esse rebus temporalibus & mundanis vestitae, his ipsis phraseologiis excitare nos voluit ad aliora. Accedit, quod multa false existimentur in creaturis proprie existere, de Deo autem improprie tantum & analogice dici; quum tamen originaliter & propriissime de Deo, analogice vero & imperfecte de creaturis praedicentur, iudice ven. WEISMANNO, in *sch. d. acad.* p. 457. Incongruas vero WITTICHII & CLERICI de origine antropopathiarum cogitationes a BRUNSMANNO & QVISTORPIO esse confutatas, supra *sect. I. §. IX.* significauimus.

II. Qui ad conceptus VULGI STUPIDISSIMI, Israelitici nimirum ex Aegypto egressi, multas scripturae partes adcommodatas dicunt, ex instituto profligati sunt a ven. SAL. DEYLINGIO, in *orat. de ingenio Israelitarum Aegyptiacorum*; in qua Israelitas illos non adeo brutos ac stupidos fuisse, quales a Burnetio, Spencero aliisque depinguntur, demonstrat. Addatur auctor *Mosis vindicari* p. 166. *seqq.* Iam dudum vero doct. EDMUNDVS DICKINSONVS, in *physica vet. & vera* c. XIX. §. XVI. obseruauit, *sub exprobratione Israeliticae stupiditatis impiam non tantum philosophiae, sed religionis etiam Mosaicae diffamandi rationem delitescere.* Facile enim athei contemni posse putant Deum, qui non nisi stolidos & brutos sui cultores habuerit, omnemque cultum ad imbecilem exulis illius & vagabundae nationis (vt impie loqui solent) intelligentiam adcommodarit. Similiter SPENCERVS, tum leges caerimoniales attemperatas putat ad Israelitarum ingenium, a superstitionibus Aegyptiorum nullis machinis dimouendum (vid. supra *sect. I. §. X*) Deum nobis fingit, cuius sacratissima instituta nihil aliud fuerunt, quam Aegyptiacae, hoc est, diabolicae superstitionis imitamenta, paullulum correctae atque emendatae: in quas erudite inficetas Spenceri aliorumque nugae merito exardescit HERM. WITSIUS, in *miscell. sacr.* tom. I. p. 432. *seqq.* Add. 10. van der WAYEN, in *uariis sacr.*

III. Qui

III. Qui ad errantes VVLGI INSANI ideas Christum sæpe sermones suos adcommo-  
dasse delirat, BALTH. BECKERVS,  
vix dignus est, qui audiatur. Adscribimus tantum B. GOD.  
OLEARIJ iudicium, in *observ. in Mattheum* p. 518. *Quid faci-*  
*ciemus Christi orationi, si admittantur Beckeriana nugamenta,*  
*qui deloto ad ipsum demoniaco, minis interpositis, spiritui im-*  
*mundo (referente pntōs Marco euangelista) dixit: Surde &*  
*mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius non in-*  
*troeas in eum. Quis unquam morbum ita adfari velit, mor-*  
*bum quem esse sciat? Hæcque edeo, qui Christo tribuit, ea men-*  
*te patrata, quæ vult Beckerus, nonne manifeste ad sortem agyrtar-*  
*um eum detradit, qui, ut HIPPOCRATES observabat, ut plus*  
*scire viderentur, homines omnino in ea sententia confirmabant,*  
*morbos eiusmodi a dæmonibus esse, verbis ipsorum magna ex parte*  
*ad Deum & dæmonium sese extendentibus. Neque excuset hæc*  
*aliquis usu loquendi. Non enim in verbis Christi est nuda quoad*  
*phrasin & usum linguæ στυκατάβατος; sed ad confirmandam*  
*sententiam de spiritu immundo, egrum hunc occupante, diserte*  
*tota composita oratio est; quod vel illudentis est hominum simpli-*  
*citati, vel eorum credulitate ad augendam de se opinionem abu-*  
*tentis. Vtrumque ad confirmandum & fouendum errorem per-*  
*tinet. Quæ omnia quam plane indigna sint Christo, doctore*  
*veritatis, nostro quidem vix opus iudicio habere videtur. Adde*  
*rursus SPENERVM in Der Lauterkeit Des Evang. Christenth. Do-*  
*min. Reminiscere p. 463. seqq.*

## §. IV.

Supereſt, vt præcipuos, qui deformi hypothesi illi-  
nuntur, colores diluamus, ne decipiant incautos, iisque fal-  
laci specie imponant. Verum & hic obſtat breuitatis ſtu-  
dium, quo minus omnia perſequi, vt rei dignitas poſtulat,  
poſſimus.\*

\* Præcipuæ προφάσεις quibus periculosa ſententia tegitur  
atque ornatur, ſunt ſequentes:

I 2

I. Scri-

I. *Scripturam sacram non eo nobis sine datam esse, ut res philosophicas inde discamus.* Vtitur hoc effugio SPINOZA, in tract. theol. pol. c. XV. p. 166. ubi, *Ostendimus, inquit, scripturam non res philosophicas, sed solam pietatem docere.* c. XIII. p. 157. *Scriptura loquitur secundum caput vulgi, quem non doctum, sed obdientem reddere studet.* Vtitur eodem SVRNETIVS, BECKERVS, alii. It. auctor anonymus tractatus: *Klare und schriftmäßige Erörterung der Frage, ob des Cartesii Meinung, dadurch er behauptet, daß die Sonne stille stehe und die Erde sich bewege, der heil. Schrift zuwider laufe,* p. 5. 71. quem cum adnotat. Ienæ recudi fecit CL. WIDEBURGIVS, in cuius tamen adnotationibus varia reprehenderunt auctores der Unschuld Nachrichten an. 1727. p. 1161. & an. 1728. p. 79. seqq. Observamus igitur sequentia:

1) Concedimus diuina oracula primario lapsi generis humani restitutionem intendere, ac fidei in generandæ causâ nobiscum communicata esse: quæ quum per notitiam rerum naturalium produci non possit, scripturam quoque earum cognoscendarum causâ datam nobis non esse confitemur. † Exinde tamen nondum consequitur, scripturam, ubi de rebus naturalibus loquitur, esse repudiandam, aut erroris mendacique arguendam. Multa potius, occasione spiritualium, de operibus naturæ uti præclare, ita verissime proponit. IO. OLEARIVS, in synopsi controuers. p. 498. *Scriptura sacra, licet non proprium & adequatum genuinum tamen est philosophiæ naturalis principium, eo saltem respectu, ut nulla conclusio physica veluti vera sit admittenda, cum qua scriptura sacra reuera pugnet.*

2) Quis nescit, vnius rei plures dari fines? Et quum per totam naturam deprehendamus, quamlibet creaturam, creaturæ

† Mich. Gottlieb Hanschius, in libro supra p. 19. citato p. 173. Diejenigen, welche von der heiligen Schrift behaupten, daß sie mehr ad aptum & opinionem vulgi, als ad rei veritatem sich bequeme, die unterscheiden nicht die Wahrheit der Empfindung

gen, welche die heil. Schrift einig und oft in anführet, von der Wahrheit der Ursachen derselben, welche Ursachen gar nicht zu dem Endzweck der heiligen Schrift gehören, folglich auch nicht in derselben zu suchen sind.

ræque particulam, pluribus teruire vrbus; cur hunc summæ sapientiæ characterem diuinis literis detrahamus, in quibus sese vix peruestigabili modo complicauit infinita Dei sapientia.

3) Cur de vniuersi mundani systematis exordio & genesi, de creationis principiis, causis, processu, tam distincte ac gra- uiter scripsit Dei ac naturæ interpres, Moses, diuino actus spi- ritu; si per eum nihil de natura docere voluit naturæ parens atque auctor, idemque scripturæ dictator, quem quum optime perspectam habeat mundi a se conditi faciem, non est vero si- mile, aliter de operibus suis in verbo suo, quam illa in se com- parata sunt, iudicare voluisse. Recte igitur exinde infert ven. IOACH. LANGIUS, in thesibus physice Comenianæ p. 3. *Physicus allegans sacrum codicem nequaquam facit per aβασιν εις ἀλλογέιν*.

II. Postulasse ingenii humani infirmitatem, ut Deus de rebus naturalibus non aliam in verbo suo sententiam ferret, quam quæ iudicio sensuum conformis esset, nisi homines confundere po- tius & turbare, quam informare voluisset. Sic STURMIVS, su- pra p. 14. laudatus, aliique. Sed respondemus:

1) Si Deus ideo statuisset, sensuum testimonium exter- namque rerum apparentiam, neglecta veritate, sequi, ut in- firmitati humanæ consulere; semper id faceret, neque vlla vniquam de rebus naturalibus proferret, quibus homines plebei & sensuum præiudiciis ducti turbari potuissent. At enim contrarium multis locis scriptura facit, nihil humanum curans captum suffragiumque. Ea enim de rerum ortu, de creatione mulieris ex costa viri, de colloquio primorum pa- rentum cum serpente tentatore, de diluuii aquis altissimos montes supergressis, rebusque similibus, narrat, quæ quam maxime humanam turbare poterant infirmitatem.

2) Leuissimum illud commodum longe maius secuturum fuisset incommodum, Deusque adeo, quum bonum minus hac ratione consequutus fuisset, longe maiori excidisset. Ete- nim, ut obseruat HOLLMANNVS *diff. c. 1. p. 64.* id quidem

hac ratione effecisset Deus, ut homines rudes & plebei in rebus leuioris momenti, & ad salutem non pertinentibus, verbo eius fidem facilius habuissent; verum sic euitari tamen non poterat, quo minus illud ipsum verbum apud rerum peritos & sapientiores, si erroribus illud refertum deprehenderent, in contemptum veniret, iidemque adeo in fidei & salutis periculum coniiicerentur. *Quo enim pacto, ut AUGUSTINVS ait lib. I. de genesi ad literam c. XIX. scripturae libris credituri sunt de resurrectione mortuorum, & de spe vitae aeternae regnique caelorum; quando de his rebus, quas iam experiri vel in dubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putauerint esse conscriptos.* Omnem itaque in rebus maioris momenti fidem decoquerent scriptores sacri, si in rebus leuioribus vnquam errasse deprehenderentur.

III. *Quum Deus de se ipso loquens ad hominum captum sese demiserit, testibus anthropopathicis scripturae sacrae locutionibus, mirandum non esse, quod idem multo magis fecerit de rebus naturalibus loquens.* Sic rursus STURMIVS, supra p. 14. sic WIT-  
TICHIVS, in *consensu veritatis* p. 509. Respondemus vero

1) In anthropopathiis minime Deus captum vulgi erroneum sensuumque iudicium, externae apparentiae innixum, sequitur, quando quidem essentia eius sub sensus non cadit; sed tantum in genere ad ipsam naturalem hominum intelligendi facultatem sese adcommodat; in testimonio autem suo de naturalibus sese ad spurios vulgi conceptus adcommodasse non sine graui iniuria ab huius hypotheseos patronis perhibetur. HENR. OPITIVS, in *tabulis theol. exeg.* p. 15. *Aliud, inquit, est scriptores sacros de rebus diuinis loqui ad captum vulgi; aliud illos de rebus naturalibus loqui ex errore vulgi. Istud facere scriptores sacros concedimus, hoc vero non item.* Et IO. HERM. BECKER *loc. cit.* p. 10. *Aliud est inservire imbecillitati humanae, nostrasque subleuare & eleuare vires imbecilles atque infirmas, ne sublimium mysteriorum lumine plane excæcemur; aliud autem*

autem

*autem est, in errorem aliquem ducere, aut in errore eundem confirmare, uti facit, qui ad erroneos vulgi conceptus sermonem suum accommodat.*

2) Anthropopathicæ locutiones in aliis scripturæ locis declarantur, omniaque, quæ humanam redolent imperfectionem, a perfectissimo spiritu, Deo, remouentur, ut adeo fieri non possit, ut erroneum de Deo conceptum ex illis formulis hauriamus. Eiusmodi vero explicationes in rebus naturalibus defunt. Quum enim ex. gr. in sexaginta circiter locis soli motus ortusque & occasus tribuatur, nullus occurrit locus, ex quo colligi possit, non solem, sed terram moueri, adeoque cetera loca de externa tantum specie esse intelligenda. Plura non addimus. Reliquas enim rationes, quæ pro hac hypothesis adferri possunt, ex instituto profligauit IO. BRUNSMANNVS in *gratia naturæ interprete lib. II. III. & IV.*

§. V.

Hæc sunt, BENEVOLE LECTOR, quæ aduersus hypothesisin de scriptura ad erroneos vulgi conceptus accommodata, disputare voluimus. Abfuit a nobis animus, de cuiusquam fama aliquid detrahendi. Quidquid operæ in hoc argumento posuimus, id ome ex amore veritatis, reuerentiaque, quam sacris literis debemus, profectum est. Si non omnium desideriis in negotio, multis difficultatibus obsepto, fatisfecimus: gratulabimur nobis, si vel occasionem aliis dederimus, solidiora in publicum proferendi. DEVS vero sanctam scripturæ sacrae venerationem omnibus, qui CHRISTI nomen profitentur, inspiret, profanarumque opinionum torrentem potentissime cohibeat.

PRAE-

PRAESTANTISSIMO DOCTISSIMOQUE  
RESPONDENTI  
S. P. D.  
PRAESES.

**R**Ecte facis, diligentissime STIEBRIZI, quod, post pri-  
uatam industriam, sacris literis nauatam, in publicum  
produs, quo profectus TVI & TIBI & patriæ inno-  
tescant. Id si plures facerent, atque ii præsertim, qui  
magnificentius, quam par est, de sua eruditione iudicant,  
conuincerentur fortassis, multas se causas habere, cur mo-  
destius de se humilisque sentiant. TIBI vero, VIR  
IUVENIS DOCTISSIME, profectus sacros im-  
pigro studio acquisitos, & cum vitæ morumque probita-  
te coniunctos, ex animo gratulor, Deumque precor, vt  
patria ciuitas, in cuius spem & decus adolescens, vber-  
rimos aliquando ex studiis TVIS fructus percipiat.  
Ceterum quum ad academiam vicinam, quæ & me ali-  
quam diu sinu suo complexa est, inuisendam & aliquam-  
diu frequentandam TE nunc accingas, propitium vt TE  
comitetur Numen, exopto. Age, & fundamento, quod  
apud nos iecisti, non fœnum stipulamue, igne olim explo-  
ratorio consumendam, sed aurum, sed argentum, sed  
gemmas superstrue pretiosissimas, vtque doctior olim san-  
ctiorque in patriam redeas, omni virium conatu enitere.  
Vale. Dabam Halæ d. XVII. Aprilis, MDCCXXVII.

❧ ( o ) ❧

coll. d. 85 A. 92; n. 22